SIGISMUNDI A S. SILVERIO ... OBSERVATIONES DE LATINI SERMONIS PURITATE, ...

Sigismondo : di S.Silverio




BIBLIOTECA NAZIONALE
VITT. EMANUELE
6
4 B
14



OBSERVATIONES
DE LATINI SERMONIS
Puritate, Elegantiâ, & Ornatu.

SIGISMUNDI A S. SILVERIO

Cl. Reg. Paup. MATRIS DEI
Scholarum Piarum

OBSERVATIONES

DE LATINI SERMONIS
Puritate, Elegantiâ, & Ornatu.



ROMÆ, MDCCVI.
Typis Dominici Antonii Herculis.


Superiorum permissu.

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS.
PRÆSULI

D. THOMAE RUFO

Archiepiſcopo Nicæno, & apud
SS. D. N. CLEMENTEM XI.
Sacri Cubiculi Præfecto

Sigiſmundus à S. Silverio C. R. Paup.
MATRIS DEI Schol. Piarum
P. F.




Rubuiſſet calamus, ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINE, tenuis argumenti libellum hunc Verendo Tuo Nomini nuncupare, niſi partem eorum contineret, quę D. ANTONIO RUFO prædilecto Nepoti Tuo, quem virtutum, ac dignitatum Tuarum hæredem

fore ſperamus, domeſticis colloquiis ut explicarem juſſiſti. Voluiſti ſiquidem, ut aliquid proprio pararem calamo, quod facili ratione Romanam ad eloquentiam aſſequendam conduceret: quod pro voto planè ſucceſſit: nihil namque mihi pretioſius, deſiderabilius nihil, quàm occaſiones nanciſci, quibus infructuoſa minùs evadat familiaris illa conſuetudo, quam eximiâ nimis benignitate, ex quo Etruſcam pro Sanctâ Sede Apoſtolicâ Legationem gerebas, mihi elargiri dignatus es: minuſve ea demerear beneficia, quibus Religionem meam conatus es cumulare: jugiterque Te conaturum confido. Feliciorem mihi arriſiſſe fortunam tunc jure lætatus fui: utpotè quæ deſideratam prębeet anſam aliquid offerendi ſacræ paupertati conſonum, quam profiteor: ac Tibi adeo gratum, ut recuſare nequires; quamquam recipiendis muneribus adeo ſis averſus; ut placidam illam Tuam humanitatem acriùs nunquam in rigorem verti cognoverim, quàm

dono-

donorum in oblatione, ab jis præsertim factâ, quos cumulaveris beneficiis. Sed quos non cumulas? Non tantùm exorantibus, sed & ne cogitantibus quidem confers; jucundiùsque Tibi pro aliis impetrare, quàm pro Te consequi. Sed & ipsius optimi Adolescentis anxia voluntas ad hoc Opusculum studiosiùs parandum extimulavit; imò & voluptas, quâ perfundi feliciter demonstravit statim ac hujusmodi ornamenta indicare cæpi: à quo tempore incredibile sanè est quantam sedulitatem, quantum in hæc studia amorem ebiberit: quo motus ulteriora semper inquirit, atque similia exempla propositis, vel non jussus, avida per libros quærit sagacitate; eaque docenti ostendit festivitate, quâ prædam Venator solet.

Deberem hîc (quemadmodum usus postulat) in Tuas, Majorumq; Tuorum laudes excurrere: nisi rigida nimis modestia prohiberet. vel invitus ergo tacebo; artis leges transgrediens potius quàm Tuas. Sed hæc antiqua, atque severior

modeſtia jubeat, quæſo, etiam Æmiliæ, cui, florente adhuc juventâ, imperaſti; ne ipſa Te juſtis laudibus efferat: geſtaque ſuis ut delcat ex Tabulariis, quibus apertiſſimè apparet quàm heroicâ generoſitate, inſigni probitate, ſingulari tum prudentiâ tum providentiâ, ſemper abſente Legato, difficilem Provinciam adminiſtraſti. Silentium Melitæ imponat; ne Virtutem ampliùs illam, ſummumque ſtudium deprædicet; quo & Fidei defenſorem, & Apoſtolicæ dignitatis propugnatorem æternâ laude peregiſti. Etruriæ mandet majeſtatem cum comitate, clementiam cum æquitate, cum dexteritate conſtantiam ultra ne laudet, quibus nedum populos, ſed Regias & Celſitudines ad Tui venerationem, ac dilectionem tam ſuaviter attraxiſti; ut Summus Eccleſiæ Pater Innocentius XII. tantæ virtutis præclarè ſatis probatæ amore commotus, diutiùs Tui abſentiam non ferens, Romam revocare, ſacroque ſuo Cubiculo præficere Te voluerit; ac poſtmodum Sanctiſſ.

Dom.

Dom. Noſter CLEMENS XI. oculatiſſimus meritorum expenſor, eodem in Miniſterio ſapienter confirmârit. Majorum verò Tuorum dele, ſi potes, egregia tot monumenta, tot Scriptores, tot marmora, tot numiſmata, tot Cæſarea, & Pontificia Diplomata, quibus & antiquiſſima præclaræ Stirpis origo, & gloria virtute parta, & omnigenæ dignitates, & ampliſſimi honores, & nobiles Principatus, quemadmodum tranſactis ſæculis cum meridianâ luce claruerunt; ſic, vel renuente modeſtiâ, poſteris etiam clareſcent. Quid de Te ergo mihi ſperandum putem? Sed quoniam hîc deberem ipſemet loqui; quamvis injuſtæ ſilentii legi obnoxius eſſe non putem; ut Tibi morem geram, attamen obticeſcam. Vale, & me, meamque Religionem, ut facis, dilige. Romæ ſeptimo Kalendas Februarii MDCCVI.

APPROBATIO.

CUM nobis infrascriptis à Patre nostro *Petro Francisco à Conceptione* Præposito Generali opusculum P. Sigismundi à S. Silverio in nostra Religione Assistentis Generalis, & Sac. Indicis Congr. Consultoris, cui titulus: *Observationes de Latini Sermonis Puritate, Elegantia, & ornatu*, recognoscendum, & examinandum commissum fuerit; nos, quâ decebat, maturitate librantes, nedum eruditioni consonum, & eloquentiæ candidatis perutile sensimus, verùm, & dignum typis hisce præsentibus contestamur. In quorum fidem &c.

Romæ in Ædibus nostris Scholarum Piarum. Die 30. Octobris MDCCV.

Dominicus Antonius à Spiritu Sancto Rhetoricæ, & Sac. Theolog. Professor Scholarum Piarum.

Claudius à S. Nicolao Sac. Theolog. Professor, & Lector Scholarum Piarum.

Pe-

Petrus Franciſcus à Conceptione Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Præpoſitus Generalis.

CUM librum cui titulus *Obſervationes de Puritate Elegantia, atque ornatu Sermonis* à P. Aſſiſtente noſtro Sigiſmundo à S. Silverio noſtræ Religionis compoſitum duo ex noſtris, quibus commiſſum fuit, recognoverint, atque approbaverint ut typis mandetur, ſi jis ad quos ſpectat ita videbitur, facultatem in Domino concedimus. In quorum fidem hiſce noſtro ſigillo munitis ſubſcripſimus. Datum Romæ in Ædibus noſtris Scholarum Piarum S. Pantaleonis die 2. Novembris 1705.

Petrus Franciſcus à Conceptione
Præpoſitus Generalis.

Loco ✠ ſigilli.


Gregorius à S. Philippo Nerio Secr.

Imprimatur ſi videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

D. de Zaulis Epiſcopus Verulanus Viceſg.

Imprimatur, Fr. Jo: Baptiſta Carus Reverendiſſimi P. Paulini Bernardinii Sacri Apoſt. Pal. Magiſtri Socius Ord. Præd.

INDEX CAPITUM.



Pars prima. De verbis ſimplicibus. quid per ſimplex verbum intelligatur.

Pars ſecunda. De Verborum collocatione.

De

Pars tertia. De ornatu Troporum, qui in verbo conſiſtunt.

Pars quarta. De ornatu Troporum, qui in ſententia conſiſtunt.

Pars

Pars quinta. De Figuris Verborum, & Sententiarum.

S I-



SIGISMUNDI
A S. SILVERIO
PRÆFATIO.



HECNICIS diſciplinis mediocriter inſtructos adoleſcentes ad floridiora ſtudia excitare operæ pretium eſt: ut guſtatâ quamprimùm litterarum ſuavitate, alio ad Virtutem ſtimulo non indigeant. Diùtina ſiquidem, ac jejuna circa Verborum paſſiones defatigatio imbecilles ipſorum mentes tam vehementer effringit, & à cæptis deterret; ut inde ad litterarum metam pauci audeant aſpirare; multò pauciores valeant pervenire. Ego certè cùm multum cogitarim quâ de causâ major ſtudentium pars pluribus annis ægrè conſumptis in litterariâ paleſtrâ, neglectis Muſis, ad Martem, ad mecanicas artes, vel (quod longè

longè

longè deterius) ad sordidum otium se convertant; nullam aliam reperi, nisi quòd cùm jam tempus esset, ut in eruditionis arcana inciperent introduci; in ipsis adhuc linguæ anfractibus laboriosissimè detinentur: Quid enim alacri animo in litterarum peragant stadio; cùm post improbos tot exantlatos labores, quibus vel integrum non suffecerit lustrum, nullum indè fructum se videant percepisse? Magno quidem Reip. detrimento, ad cujus incrementum si seriùs (ut tenemur) respiciamus; multos quidem habebimus, disciplinæ nostræ commissos, qui Eruditorum concilio facilè adscribi poterunt. Ad hoc autem Adolescentium animos per rerum novitatem inflammare sensim oportet. Nec alio sanè modo id effici potest, quàm artis præcepta ostendendo; Auctorum artificium detegendo; judicium de ipsis ferendo. Constat enim, tria esse Litteratorum genera, qui à Græcis Grammatici dicuntur: quosdam Thecnicos, quosdam Historicos; Criticos alios. Horum primos elementa, partes orationis, verborumque docere structuram: alteros verò in Regionum notitiâ occupatos historias, ac genealogias exquirere: Nobiliores his Criticos, qui

tan-

tanquam Judices, ac Censores aliorum opera examinant, ipsorumque æstimationem, aut augent commendando, sive culpando deprimunt. Eò enim dignitatis Grammatica se extendit: ut Magnus Ecclesiæ Doctor Augustinus de se juniore scripserit Confessionum lib.1. Adamaram latinas litteras, non quas primi magistri, sed quas docent qui Grammatici vocantur; *quasi isti optimarum artium, rerumque cognitionem amplissimam compræhendant. His ideò paginis Rhetoricorum Prodromum habes, in quo & Progymnasmata continentur; non qualia quondam Sophista Aphthonius præscripsit, & plurimi post eum, qui crambem recoquerunt, sed quæ ad eloquentiam faciliorem aperiant viam. Ea siquidem Rhetoricæ præceptis non auditis, nullo modo reduci possunt ad praxim: undè potius Rhetorici privata exercitamenta, ac declamationes appellandas putarem, quam ad Rhetoricam ipsam adipiscendam primas dispositiones: quemadmodum ex ejusdem, ac Libanii exemplis apparet; quibus quantum in ipsis eloquentiæ fuit, totum quidem insitum est, ac elaboratum. Hæc autem nostra nihil eôrum supponunt,*
quæ

quæ in Rhetoricis tradi ſolent: non inventionem, ac vim argumentorum, non partium diſpoſitionem, quibus oratio conſtat: ſed ea tria *ſolùm pertractant,*è quibus, *Theophraſto auctore (ut Dionyſius refert de Judicio Iſocratis)*orationi granditas, & ſplendor, & magnificentia quædam accedit. primùm delectus verborum: deinde quæ exiſtat ex illis concinnitas: poſtremò figuræ, quibus hæc includantur. *at hæc, inquies, nonne tertia Rhetoricæ pars, & quidem præcipua, quam dicunt Elocutionem? ita ſane, vel ea ſaltem elocutionis pars, quæ ante alias tradenda, & exercenda: ſine ipsâ enim ſcribendi lepos nullus, nulla elegantia poteſt in aliis dignoſci; poteſt unquam acquiri in ſe ipſo: quin & ſenſus Auctoris abſque hac notitiâ nequit haberi. quomodo enim exempli gratiâ* limen, tectum, lares *prò domo,* ariſtam *prò anno horum ignarus intelliget? quomodo* ferrum *prò gladio,* Bacchum *prò vino,* militem *prò exercitu? quare grave ſemper ſtudium evadit: quum autem verborum veneres, ac lepores agnoverit; eòuſque incognitâ dicendi venuſtate correptus*

Ex-

Expleri mentem nequit, ardescitq; tuendo

multoque magis ubi venustum sententiarum robur detexerit: quare stimulis ampliùs non eget; immò docentis vota præveniens, ad ulteriorem explanationem lætus extimulat. Optimum ergo erit, & compendiosum ad eloquentiam iter statim Observationum harum aggredi explicationem, vel saltem præcipuarum, cùm primùm casuum communium regimine competenter imbutus adolescens Authores cœperit explanare; quò citò voluptas attrahat, ac totam mentem absorbeat, pertinacique studio devoveat. Dentur interim themata, quibus quæ didicit tum de verborum collocatione, tum de tropis, atque figuris ad imitationem interserat: & quæ in Authoribus perleguntur pertinentia ad eruditionem; ut nomina locorum, personarum, & alia hujusmodi ex dictionariis Historicis, Poeticis, Geographicis jubeat industrius Præceptor extrahi diligenter, & alphabetico ordine in Repertorio reponi; ut historias, ac fabulas, ritus, ac mores gentium sensim ediscat: quod, quando ille assequetur, laudibus à Magistro excitetur; hoc enim maximopere exhila-

hilaratus meliores ſemper in dies diligentiæ fructus præſtabit; atque his delectabiliter aſſuetus, omnia brevi, quaſi cibum, propriam in ſubſtantiam convertet.



PARS

A. M. P. I.

PARS PRIMA
DE
VERBIS SIMPLICIBUS.



ER ſimplex Verbum omne vocabulum intelligimus ſejunctim conſideratum, & alteri Orationis parti non adnexum. v. g. *Amor*, *Virtus*, *curſito*, *vehementer* &c. quo ſenſu accipi voluit Quintilianus libr. 1. cap. 5. Porrò verba ſimplicia, aut Primitiva ſunt, ut: *Urbs*, *Rus*, *Terra*: vel Derivata, ut: *Urbanus*, *Ruſticus*, *Terreſtris*; De quibus in Grammaticis. Ea rurſum vel propria ſunt, vel translata. De Translatis alibi ſermo erit. Propriorum alia ſunt, quæ ſine culpâ in oratione frequentari poſſunt pro libito; alia verò, quæ cùm vel Latini Sermonis nitorem, puritatemque tollant: vel locutionem parum modeſtam efficiant; aut prorſus reiicienda ſunt; aut cum modo uſurpanda. Hujus ſecundi generis omnia Andreas Fruſius ſequenti Diſticho complexus eſt.

Sordida, Priſca, Nova, Antiquata, Poëtica, Dura,
Turpia, Rara nimis, vel Peregrina cave.

Atque ut de omnibus ſingillatim peculiaris habeatur ſermo, inſtituamus

De tribus Verborum Vitiis. Cap. I.

I. SOrdida verba ea dico, quibus res fœdæ nominantur, veluti corporis excrementa &c. Hujusmodi ferè sunt, quę à sordidis artibus, & opificiis sumuntur; velut à balneis, à coriariis, à popinis: quibus tamen utemur si de talibus argumentis sit differendum; quod raró illustri Oratori continget, aut viro cordato. Chirurgi quoque, Medicique coguntur interdum verbis uti aptis potiùs, quàm splendidis. Quædam itidem verba tantùm sordida sunt aut relata ad gentes & populos, aut ad personas & circumstantias. In uno enim loco quædam sordidum quid sonant; in alio non item. *Stercus* & *stercorare* non est sordidum verbum, si apud Agricolas de agriculturâ habeatur sermo; bene tamen si apud Magnatem, aut Principem de Politiâ habemus orationem. Cæterum nisi urgeat necessitas istiusmodi verbis abstineamus necesse est, ut omnes eruditi admonuere. Duos ex omnibus profero, Fabium, & Ludovicum Carbonem. Primus l.8. c.3. hæc recitat: *Et honesta quidem turpibus potiora semper: nec sordidis unquam in oratione erudita locus*. Alter l.1. de Elocut. Orat. disput. 3. *Castum quiddam, ac purum est oratio bene constituta; quam verborum sordibus, & proluvione contaminare nefas esse duco*. Siquid sordidum tamen, urgenti de causâ quod fiet, exprimere cogemur, verborum ambitu illud describamus, hono-

nos-

noremque præfabimur: ut expreſſe docet Scaliger his verbis Poët. lib. 3. 51. *Tranſlationibus, & circumlocutionibus utendum, ne ſordeſcat oratio in re vili, à quâ etiam* conſultiùs, quàm Homerus, *ut ferè ſemper abſtinuit Virgilius, qui neque muſcam nominavit, neque aſinum ſicut ille; neque earum ſordium colluviem dignam putauit ſua majeſtate*. Id etiam plurimi Poëtarum præſtitere: ut fusiùs monſtrabimus infrà, ubi *de Turpibus* ſermo erit.

II. Priſcorum Verborum duplex eſt ratio: aliqua enim ita in deſuetudinem abiere, ut in uſum revocari non poſſint: & hæc *Antiquata* dicuntur: de quibus numero IV. dicendum: alia verò, quæ uſu quotidiano ſunt quidem intermiſſa, ſed tamen non omninò à doctis relicta: quæ *Priſca* communiter appellantur: qualia ſunt *Actutum* pro quamprimum: *Antigerio* pro *valde*: *creperum bellum* pro *dubio*: *Hoſtire* pro *penſare*, *hoſtimentum* pro *penſatione*: *vitulantes* pro *gaudentes*: *cluere* pro *pugnare*: *temetum* pro *vino*: *expectorare* pro eo, quod eſt expromere verbis, quod eſt in animo: *exantlare* pro *perpeti*: *titivillitium*, pro filis putridis, quæ à telis cadunt: *delinificus* pro *blandiloquo*: *cantillare* pro *alienas domos frequentare*: *oppuliſcere* pro *diteſcere*: *pauperare* pro *pauperem facere*: *defrugare* pro *extenuare*: *porcare* pro *prohibere*, & hujus notæ ſexcenta, quæ apud probatos auctores quandoque reperies. Jis igitur & nos uti poterimus: non tamen paſſim in oratione ſpargenda, ſed illi veluti emblemata inſerenda, quo pa-

cto gratiam, ornatumque orationi afferent: secùs si perperam effundantur, aut non loco locentur, obscuram, & inflatam, & omnino fastidiosam reddent locutionem. Nam, ut in magnâ domo vasa quædam pervetusta, etiamsi nullius usus sint, dignitatem habent, & gentis, familiæque antiquitatem testantur; recentia verò divitias, rerumque affluentiam; sic Prisca vocabula ab usu quotidiano ferè intermissa, grandiorem; gravioremque sæpenumero reddent orationem, cùm illis suo tempore scatebit. Idipsum docet Trapezuntius lib. 5. c. 1. in hæc verba: *Verba inusitata, & Prisca grauiori orationi conveniunt: affluit enim simul cum verbis vetustatis quædam dignitas, atque magnitudo, quæ orationem extollit. Verùm rariùs collocanda sunt, ne aut obscuram reddant orationem, aut præparationem significent, aut ostentationis crimen nobis adducant. Sunt item quædam ita vetusta, ut tamen ab usu orationis remota omninò non sint: quibus crebrius dum magnitudini rerum conveniant, uti licet*: quibus ultimis verbis Auctor Prisca intelligi voluit; prioribus Antiquata expressit. In eadem sententiâ, & Lipsius epist. 3. ad Germ. *Antiqua*, inquit, *& Antiquos ama; imitare etiam, sed cum modo, & citra affectationem. Voces illæ rariores, & priscæ, mihi crede, eloquentiam non faciunt; & quamquam lectionis aut doctrinę aliquod specimen præseferunt, tamen jure hanc Cacozeliam damnat, & appellat Augustus. Me in ea classe censent: rideo. vide nostra aspergi sale aliquo; sed ut salem videbis, non superfluere aut abundare*

dare . Prætera hisce verbis locus erit sine culpâ in sermonibus Priscis , & Personarum fictionibus ; ueluti si Nævium , Pacuriumque disceptantes induceres , aut in Dithyrambis Satiros Faunosque simul canentes. Si quis verborum vetustatem verebitur , ne aures offendat ; optimum erit quid præfari , licentiam petere , aut conditionem aliam apponere, quâ nos id consulto facere , fecisse antiquos significemus. Id fiet his fermè rationibus : *Cato librorum helluo , si tamen eo verbo fas est vti in re tam præclara . Æqui igitur bonique facies* titivilitium *hoc , ut Plauti more loquar . Plauti verbum vide . Cur enim non utar Plauti verbis ? Dicam enim Plautina voce , quo dicam meliùs . Permitte Plautino more loqui . Nosti Plautinam vocem. Ut Plautus loquitur in Casina . Cum Plauto dicam . Ut dicam antique. Si sic loqui licet &c.* Pari pacto locutus est Vir Cl. Iustus Lipsius , cujus verba sunt Ep. Quæst. l. 3. ep. 2. *Vina apposita vinosum movent : invinium, ut antiqui loquebantur , non movent* . Tertullianum , & Arnobium verbis Priscis nimiùm indulsisse Eruditorum judicium fuit . Legas enim apud illos *Salpictarum sonitus* pro *tubarum* , *hypobrichium* pro *extremo* ; *substillum* pro *dubio aëre &c.* quæ non Prisca modò, sed antiquata sunt , & ex ultimis tenebris repetita .

III. Nova dico , quæ apud antiquos non fuerunt . Hæc amandanda ne sint ab oratione apud Scriptores litigium est . Qui negant multis se sapientissimorum hominum auctoribus tutantur : C. Cæsaris ,

 qui

qui lib. de Analog. dixit, Infrequens atque insolens verbum tamquam scopulum fugiendum esse. Gellii, qui lib. 11. Noct. Att. obsoletis, insolentibus novitatisque duræ verbis uti par ait esse delictum: Macrobii, qui Saturnal. l. 11. c. 7. hæc protulit: *Verbis uti aut nimis obsoletis, aut insolentibus, novitatisque duræ, & illepidæ par esse delictum videtur; sed molestiùs equidem, culpatiusque esse arbitror, verba nova, incognita, inaudita dicere, quàm invulgata, & sordentia*. His addunt Fabium, Caussinum Carbonem, Erasmum, Smithium, aliosque recentiores. Secùs, qui novis utendum existimant, uno Tullii suffragio contenti sunt, cùm lib. 3. de Fin. imponenda esse nova novis rebus nomina expresè affirmet. Ego verò, sic existimarem, non quodcumque verbum novum esse admittendum, sed illud tantùm, quod necessitate introductum est, & ex urgenti ratione novatum. Quo enim mihi Philosophorum Theologorumque verba illa *prædicare*, *principaliter*, *generalissimum*, *specialissimum*, & id genus; cùm meliora, & planè Latina occurrant, *attribuere*, *maximè*, *genus summum*, *genus infimum*? Hæc, & similia quidem frequentabo: *Trinitas*, *Justificatio*, *Paradisus*, *Excommunicatio*, *Purgatorium*, *Incarnatio*, *Deipara &c.* cùm voces meliores idem importantes non suppetant. Si elegantius possum describere; quare *Scolpettum*, *Mozzettam*, *Bombardam*, *Bombam*, *Perspicillos*, *Microscopium Telescopium* dicam? Neque tamen ulli auctor sum propterea, ut nullum prorsus verbum

ad-

admittat, quo Cicero eloquentiæ Princeps, aut ji, qui per eadem tempora vixerunt, usi non sint; aut facultatem Oratori demam cum Celso ea innovandi, ubi opus sit; vel jam innovata usurpandi, cùm non occurrant meliora. Hoc enim puerile esset. Quem enim præterit, multos Romanæ Linguæ Architectos, scriptoresque disertissimos, multa de novo verba fabricasse; Tulliumque ipsum, quam sibi facultatem formandorum verborum asciverat, eandem aliis dedisse, formandique præcepta tradidisse? *Beatitudinem*, *&* *beatitatem*, *mulierosum*, *&* *mulierositatem*, Cicero primus extulit. *Declamare* pro exerceri ad eloquentiam, *æditūus* pro æditimo nova erant ætate Varronis. *Interim* pro interdum, *obiter* pro interea, *subinde* pro identidem Quintiliani sæculo nata sunt. *Reatum* Messala primus dixit: *Munerarium* Augustus, *Obsequium* primus Terentius protulit: *Cervicem* numero singulari Hortensius; cùm veteres numero multitudinis uterentur *Pyratica*, *Musica*, *Fabrica* à Fabii Præceptoribus non erant recepta, quæ nunc non est qui refugiat. Deinde cum novæ res, vel in hominum cognitionem de novo veniant; vel nisi naturâ, saltem hominum industriâ, & institutis nascantur; cur ad eas explicandas nova non infingamus vocabula? Sanè & hæc fuit ex causis, quod sermonis paupertate adeo laboramus, quia, ut cum Quint. loquar l. 8. cap. 3. iniqui Judices adversus nos sumus. Innovari igitur verba possunt:

Licuit, semperque licebit.

Signatum præsente nota producere nomen. ut Horatius auctor est in Poët. v. 58. 59. non tamen omnibus licet; neque nobis, quæ antiquis Romanis licentia fuerat, data est, statim atque verbum desit, illud formare; sed vel circuitione uti debemus, aut à Græcis mutuari tamquam ab uberiori fonte. Præterea quod datur licentiæ, id ineruditi homines, pueri, & qui latinam dictionem vix norunt sibi non sumant, sed disertis, doctisque viris id muneris relinquant; qui de bonis litteris, & Romano eloquio sunt optimè meriti. Idcircò Angli, qui sibi nimium hac in parte tribuere sugillantur, ab Illustri Viro Carolo Du-Fresne Præf. Gloss. tamquam omnia involuerint, & quibusdam inextricabilibus nodis universa perturbaverint verbis novis, quæ, ut Plautus ajebat, *præter Sybillam leget nemo; nam divinandum est*. Sed hoc ambitiosis, & imperitis commune est vitium, novas rerum appellationes invenire, ut doctiores appareant. Certè de Græcis quoque multa recensentur. De Dionysio tyranno ab Athenæo memoriæ proditum est πάρθενον Virginem nominare, ut nimis communi nomine suppuduisset. Columnam μενεκράτην quasi validipotentem vocabat, quod valida perduret: jaculum βαλλάντιον, quod adversus jaciatur. Ejusdem farinæ fuit Alexarchus, de quo Heraclides Lembus hist. l. 37. testatur gallum appellare consuevisse ὀρθροβόαν quasi manicinem; tonsorem βροτοκέρυν, drachmam ἀργυρίδα præconem ἄπυτυν; Lucianus pariter his ver-

verbis novatis ſcatet preſertim in Lexiphan. Sed ut & de fontibus ad innovanda verba aliquid dicamus, ea quatuor eſſe nonnulli Artis magiſtri tenent, *Imitationis, Inflexionis, Adjunctionis, & Tranſlationis.*

1. Innovantur verba imitatione, cùm ad eum modum, quo aurea illa Latini ſermonis ætas aliquid extulit, aliud de novo effertur. Hoc pacto Tullius ex *bonitate*, formavit *beatitatem*, *celſitatem*; ex *proſcripturit*, *ſyllaturit*; & nos ex *beatitudine pœnitudinem* pro pœnitentiâ diximus. Rurſum imitatione creantur nomina, quæ ad Onomatopeiam ſpectant, de quâ in tertiâ Parte.

2. Inflexione, ſeu derivatione, cùm ex nativo, & uſitato nomine aliud deducitur; ut ex *ruſtico ruſticitas*, ex *mendico mendicitas*, ex *bibo*, *biboſus*; *à negotio negotioſus*; *ab incurvo*, *incurveſco*; *à credo credibilis*; *à portu portuoſus*; *à rotundo rotundatum*, *à caſtello caſtellanus &c.*

3. Adjunctione, ſeù Compoſitione, cùm ex duabus integris vocibus unam conflamus: in quo feliciores Græcos Latinis agnoſco: exempla ſunto, *magniloquus*, *verſutiloquus*, *mellifluus*, *multiloquium*, *combibones*, *ſubruſticus*, *frugifer*, *crucifixus*, *penniger &c.* Quod compoſitionis genus Poëtarum maximè proprium eſt, ac præſertim in Dithyrambis, ubi verba longa & ex multis compacta aptiſſima ſunt, teſte Ariſt. in Rhet. Vincentio Maggio, aliiſque. hinc Horat. Od. l. 4. 2. v. 10.

Seu per audaces nova Dithyrambos
Verba devolvit

intelligens per nova verba, nomina ex duobus, vel tribus composita. Catullus quoque Dithyrambos imitatus Cervam *Silvicultricem*, & aprum *nemorivagum* appellavit. Alii similiter projiciunt ampullas, & sesquipedalia verba.

4. Translatione demum innovantur voces; & quidem hic modus transferendi verbi latè patet, ut dicit Cic. 3. de Orat. quem necessitas genuit inopiâ coacta, & angustiis; post autem delectatio, jucunditasque celebravit. Ut vestis frigoris repellendi causâ reperta primò, post ad ornatum adhiberi cœpta est etiam corporis & dignitatem; sic verbi translatio instituta est inopiæ causâ, frequentata delectationis. Nam *gemmare* vites, *luxuriem* esse in herbis, *lætas* segetes etiam rustici dicunt. Quod enim declarari vix verbo potest proprio, id translato cùm est dictum illustrat id, quod intelligi volumus. Sed hæc fusiùs ubi de Tropis. Restat ut de Nominibus propriis Locorum, Familiarum, Ma istratuum, ac Personarum nonnulla breviter attingamus, quæ perperam à quibusdam adeo solent innovari, atque immutari, ut nullo pacto recognosci queant. Quis enim Gherardum de Gherardis in Desiderio Erasmo agnoscat? Joannem Palæonhydorum in Joanne de Oude-Vvater? Janum Victorium da Rossi in Jano Nicio Erythræo? Casaubonum in Hortobono? Scio Poëtis, qui metro servire coguntur, concessum, nomina in metro non stantia mutilare ex parte. Cæterùm quid urgeat prosâ oratione Nomi-

na personata reddere, prorsus ignoro. Sed ad rem veniamus.

1. Nomina Locorum, cùm sæpè sæpiùs Imperiorum mutatione variata sint, varienturque in dies, & vetera novis obliterata remaneant: optimum erit & novam, & antiquam illius denominationem exprimere; vt sic de veritate loci meliùs constet. Si enim novum proferas, & vetus silentio obvolvas, aut contrà; tenebras pro luce induces. Huic sanè rei etiam à veteribus Scriptoribus tam Græcis, quàm Latinis provisum est, qui sæpiùs utrumque nomen, priscum scilicet, ac recens extulere. Sic Livius dec. 1. l. 9. *Malevento Urbi, nunc Beneventum nomen est*. Pomponius in Maced. lib. 2. *Dyrrachium Epidamnos ante erat: Romani nomen mutavere, quia velut in damnum ituris omen id visum est*. Pompejus Festus. *Segesta quæ nunc appellatur oppidum in Sicilia est, quod videtur Æneas condidisse, præposito ibi Egesto, qui eam Egestam nominavit: sed præposita est ei litera S, ne obscæno nomine appellaretur*. Supplemen. Curtii l. 2. *Thebanis autem conantibus præsidium Macedonicum ex arce Thebana, quam Cadmeam vocant, depellere*. Nos quoque ex eorum imitatione dicere possumus. v.g. *Claros insula, quam Calamum recentiores dixere &c. Delos, seu ut vocant Itali, Sdile &c.*

2. Nomina Familiarum aut Gentilitia sunt, aut à loco ducuntur, ubi Familiæ vel originem traxere, vel exercuere dominium; aut ab aliquo egregio facinore parta fuere. A viro insigni, vt latè pro-

 bat

bat Sigonius lib. de nominib. Romanorum fuit *Julia* gens, quæ Julium Æneæ, *Æmilia*, quæ Æmilium Julii filium, *Asia* Asim, *Nautia* Nautem Trojanos viros sui generis auctores nuncuparunt. Sic quatuor Numæ filii Pomponus, Calpus, Pinus, & Mamercus, Plutarcho teste, *Pomponiam*, *Calpurniam*, *Pinariam*, & *Mamerciam* gentes Romæ propagarunt. Cæterum nedum à nomine, sed & à prænomine, & à cognomine Auctoris familiæ appellationem acceperunt. A prænomine sunt *Cnæi* à Cnæo, ut hic de petitione Consulatus: *Ex equestri ordine Pompilios, & Cnæjos. Hostii* ab Hosto. undè epigr. antiq. Urbis. *P. Hostio P.F. Severo.* Ita *Lucilii* à Lucio, *Manilii* à Manio, *Posthumii* à Posthumo *Proculii* à Proculo *Seruilii* à Servio *Tullii* à Tullo &c. A cognomine verò sunt *Albinii* ab Albino. *Flavii* à Flavo. *Fuluii* à Fulvo. *Plautii* à Plauto *Rufi* à Rufo Mucinii Cordii cognomine: undè ex numinis argenteis M. *Cordius Rufus*. A loco fuerunt *Tarquinii*, à Tarquinis nempè Urbe Etruriæ: ut asserit Dionysius. *Cominii* à Cominis Italiæ populis, de quibus Plin. & nunc feliciter vivit *Albana* Gens ab Albaniâ Macedoniæ Occidentalis parte, quæ quondam Epyrus, in Umbriam traducta; ex quâ CLEMENS XI. P.O.M. in DEI Ecclesiâ sanctissimè regnat. Sic *Estensis*, ac *Farnesia* Familiæ à Castris hujus nominis antiquæ earum ditionis nuncupatæ. Ab egregio facinore sunt Familiæ *Frangipanorum* à frangendo pane dicta, quem Divus Gregorius in eleemosinam Pauperi-

peribus distribuebat. *Columna* à Victoriâ obtentâ à tribus Fratribus nobilibus Romanis in loco dicto *Colle Longo*, quâ victoriâ periclitantem Patriam ab hostibus liberârunt. Præterea à quadrupedibus multas gentes fuisse nuncupatas notat Varr. lib. 2. de re rustic. apud laudatum Sigonium Nomina multa habemus ab utroque pecore: à minore *Porcius*, *Ovinius*, *Caprinius*. à majore *Equitius*. Ego verò nobiles nonnullas Italiæ adnectam familias, quas mens suggerit, qualis est *Bovi* Bononien. *del Bufalo* Rom. *Pecori* Flor. *Vitelli* Tifern. & Flor. Sed & feræ nomen præclaris Familiis donant, quales *Ursini* Rom. *Ursi* Bonon. Item Volatilia dant nomen, ut *Capponi* Florent. *Pichi* Mirandulan. *Galli* Mediol. & Flor. *Passerini* Cortonen. & Nurs. Imò & Serpētes: ut *Biscia*, & *del Drago* Rom. &c. Ab aquâ pariter sumuntur: ut *Marini* Januen. *della Fonte* Floren. *del Pozzo* Rom. &c. A Gemmis: ut *Rubini* Venet. Ac tandem à plurimis alijs rebus habentur Familiæ dictæ. Sic *Piazza* Foroliviensis, *Davia* Bonon. *Della Porta* Neapol. *Della Casa* Florent. *Palazzi* Mantuan. *Spada* Romæ, & alibi *Lanci* Romani *Libri* Florentini. *Fiaschi* Ferrar. & Flor. *Martelli*, & *Martellini* Flor. *Del Rosso* Flor. *De Rubeis* Romæ, & alibi. *Bianchini* Veron. *Bianchi*, & *Neri* multis in locis, & conditionis diversæ, ob diuturnas per Italiam factiones: Florentiæ verò *Del Nero*, & *Neria* Divi Philippi Nerii splendoribus nitet. Porro Familiarum nomina, vel antiqua sunt, vel nova; si antiqua retinen-

tinen-

tinendus est finis proprius, & prisco more enuncianda. Sic dicendum *Fabia, Rufa, Sergia.* nam & antiquitùs cognomina multa in *a* finiebant. Si nova, id est post Rom. Reipub. excidium, videndum an ad Latinam inflexionem facilè reduci queant absque immutatione; ita ut ab incultioribus, & remotæ Provinciæ gentibus absq; Oedipo percipi queant: talia erunt cognomina, *Mediceus, Estensis, Farnesius &c.* quæ à Latinorum inflexione nihil abhorrent: non item *Facchinettus, Anguillarius, Frangipanius, Corsinius*: quapropter satius erit novissima hæc, prout vulgò obtinent efferre. *Facchinetti, Anguillari, Frangipani, Corsini.* Huic tamen mori tot inter adversatur Martinus Del Rio in Senec. p. 2. qui Cognomina quæcunque ad latinam inflexionem reduci posse ex virorum doctorum permissu defendit. En illius verba: *Cum propria hominum, familiarum, vel locorum nomina retineri, neque in aliam linguam per interpretationem transfundi debeant, ut post Hermolaum Barbarum in Plin. notavit Jacobus Curtius: posse tamen ea pro cujusque lingua reflecti & terminari, omnes viri docti admittunt, ita ut si me* Delrium *dicam, non malè, si flumineum planè ridiculè facturus videar.* Verùm, ut concedo Martino quod alioqui gratis asseruit, Viros eruditos concedere dicta Cognomina ad Latinam linguam reflecti posse; ita nego, Cognomen suum *Del Rio* posse. Primùm quidem, quia cùm *Del rium* dicit cum casu articulum confundit, quod absurdum est. Secundò quia si à casu articulum

lum secernat, & *Del Rium* enunciet, cùm majusculus character vocis medietatem necessariò obtinere debeat, non Latinum, sed Barbarum vocabulum efficiet. Hac unâ de causâ Andreas *Du Chesne* reprehenditur, quod se *Duchesnium* appellare consuevisset. Ludovicus quoque De la Cerda in Adversarijs sacris p. 497. graviter expostulat cum Nicolao Abramo, quod illum *Lacerdam* nominaverit. *Nicolaus inquam Abramus,* illius verba recito, *cujus ego nomen melius teneo, quàm ille meum, qui me citans Lacerdam nominat. Ego enim Io: Ludovicus De la Cerda nominor. Itaque Cerdam debuisset dicere, non Lacerdam. Sed ignosco homini ignoranti nostrum idioma: apud Hispanos enim* la *vicem habet articuli, ut la plaça, la terra, la yglesia: rursum dicitur de la plaça, de la terra, de la yglesia.* Sed quid plura congeram? nec ipse Martinus in suis, quos luci commisit, libris se *Delrium* dicit, sed *Del Rio*, ut videre est lib. Disquisit. Magicar. Adagial. Sacr. Vet. & Nov. Test. Thren. Phari Sacræ Scripturæ &c. Idem similiter fecere ferè omnes sanæ mentis, rectique judicii, quos recensere omnes inutile foret opus. Reliquum est ut admoneam, d lirium esse Cognomina per interpretationem efferre. Quis enim non rideat, si Principem *Buon Compagni Bonum Socium*; Marchionem *Corsini, Curriculum*; Comitem *Malatesta, malum caput*; Senatorem *Cerchi, Circulum*; Equit. *Rondinelli, hirundinulum* dicas? Quâ de re non pigeat audire insignē Virum Carolum Du-Fresne, qui postquam nonnul-

la

la in Glossarii sui Præfatione de nominibus, & cognominibus recensuit, hæc habet pag. 15. *Quam sanè non semel agitatam, & à viris doctis serioque discussam controversiam meminimus, qui eò visi sunt concedere, ut quibus haud ægrè dari possunt latinæ terminationes, seu, ut Fabii verbo utar, quousque patitur decor, nomina edantur latinè; idest, cùm quæ sint vernacula, aut fuerint, satis perspicitur: contrà verò non ita immutanda, vel Latinis, aut Græcis ejusdem notionis edenda vocabulis* (quod ego superiùs interpretari dixi) *quæ Scriptorum nomina, vel titulos, aut dignitates in incerto prorsus relinquant.* Et alibi. *Nisi enim adjuncti articuli serventur, nomina in incerto manent.* Sed & hoc unum addamus, nonnullos Cognomentis adjungere Præpositionem, *A*, *Ab*, aut *De*, ut: *Cardinalis de Medicis, Princeps ab Etruria &c.* Sanè hoc ultimum magis tolerabile esse docet Erasmus lib. de Conscrib. Epist. *Cognomentis*, inquit, *quæ ducuntur à loco vel originis, vel dominii quidam aurè addunt Præpositionem.* Picus de Mirandulâ *Latinius est* Picus Mirandulanus, *tolerabiliùs putant* Picus à Mirandula. *Ac fortasse licebit unum, aut alterum exemplum apud auctores invenire, sed pueri quod optimum est priùs assuescant imitari.* Cæterum ad ulteriorem eruditionem adnotandum hic censeo cum Sigonio libro laudato; cognomina non semper hæreditaria fuisse; imò aut mutari, aut relinqui pro arbitratu consuevisse: quæ sanè libertas ad tempora Friderici Primi Imperatoris à barbæ colore Italis *Barbarossa* nuncupa-

cupati perduravit. Hunc verò decrevisse pœnali Edicto, ut quilibet in posterum Majorum suorum cognomen retineret; quò inter se distinguerentur Familiæ; docet Philadelphus Mugnos in præfat. Voluminis pr. Theatri Nobilitatis.

3. Magistratuum, ac Personarum nomina, nisi habeamus antiqua, nova tenebimus, quæ idem significent, & usu recepta sint; ut superiùs quoque attigimus. Recens est ut Ecclesiæ Romanæ Princeps *Papa* dicatur: Possumus tamen dicere *Pontifex Opt. Max.* quia ab usu Christiano non abhorret. *Cardinalis* itidem dicemus cùm illius proprium sit dignitatis, neque æquipollens facilè adesse possit.. Hinc Bembus & Longolius reprehenduntur à doctis, quod *Patres Conscriptos* vocaverint. Non absurdum est dicere *Patres Purpuratos* in narratione aliquâ, sed ita illos salutare, vel compellare ineptum est. Ineptissimè pariter faciunt, qui Christianos ordines, vel Gradus detorquent in profana vocabula, vocantes summum Pontificem *Regem Sacrorum*, vel *Flamen Diale*, Sacras Virgines Deo dicatas *Vestales*, & his similia; cùm tamen voces hujusmodi (quod de antiquis etiam sensit Fabius l. 1. cap. 11.) mutare vetet Religio, nam *consecratis necessariò utendum est*, ut ipse loquitur. Circumscriptionibus tamen aliquibus quędam interdum ornatiùs dici posse non negamus, vel per genericum aliquod significari. Possunt siquidem Cardinales *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, vel *Sacri Concilii*, vel *Collegii Principes* appellari, & eorum Con-

Consistorium *Sacer Senatus*, aut *amplissimum Concilium* nuncupari, præsertim Oratoriè, vel Poeticè describendo. Sed de his cumulatiùs, quàm proposueram. Reliqua verborum vitia jam explicemus.

De reliquiis Verborum Vitiis. *Cap. II.*

I. ANtiquata ea superiùs diximus esse, quæ in usum nullo pacto debent revocari, & Obsoleta ab aliquibus indigitantur. Ejus generis sunt *bovinari* pro *tergiversari*; *apluda* pro *frumenti furfure*; *flocces* pro *vini fæce*; *iduare* pro *dividere*; *toper* pro *cito*; *assulatim* pro *minutatim*; *paucies* pro *raró*, *hostem* pro *hospite*, ac *peregrino &c.* Qui hæc tentet in usum traducere meritò risum captabit; quemadmodum celeberrimus in causis homo. Hic (referente Gellio l. 11. c.2. Macrobio l.11.c.7. quo præsente contigit) cùm apud Præfectum verba faceret & dicere vellet, inopi quendam, miseroque victu vivere, & furfureum panem esitare, vinumque eructum, & fœtidum potare; *Hic*, inquit, *Eques Romanus apludam edit, & flocces bibit*. Aspexerunt omnes, qui aderant alius alium, primò tristiores turbato, & requirente vultu, quidnam illud utriusque verbi foret. Post deinde, quasi nescio quid Thuscè, aut Gallicè dixisset, universi riserunt. Alter quoque, cùm Adversarius causam differri postularet: *Rogo*, inquit, *Prætor, subveni, succurre: Quonam usque nos bovinator hic demoratur?* Atque id voce magnâ ter quaterque incla-

cla-

clamavit *bovinator*. Commurmuratio fieri cœpta à plerisque, qui aderant, quasi monstrum verbi admirantibus. At ille jactans, & gestiens. *Non enim*, inquit, *Lucilium Legistis, qui tergiversatorem bovinatorem dicit*. Profectò Causidicus hic illorum typum gessit, qui malunt scribere quæ mirentur homines magis, quàm intelligant; quique dum multæ lectionis videri volunt, verba in medio posita respuunt, usitataque aspernantur; abstrusa, atque insolentia venantur; &, cum frugibus, ut ait Cicero, vesci possint, ad glandes redeunt; cumque de puris fontibus, malunt de fæce haurire. Verùm ii dupliciter peccant, tum quod puritatem, candoremque Romani sermonis commaculant, tum etiam quod perspicuitatem primam orationis virtutem de medio tollunt, quo nihil vitiosius. Quò enim dicant ni velint intelligi? quomodo doceat, qui solùm inusitata effutit? Jure quidem pro Cluent. Cepasium subsannat Cicero, quod ex tam multis Auditoribus quid ille sibi vellet intelligeret nemo, & C. Roscius Sisennam, qui *sputatilica crimina* dixerat, jocosè damnavit, cùm dixit: *Sputa quid sit, scio; tilica nescio*. Obscuri igitur, atque spinosi antiquarii isti evadunt, dum antiquitati stultè inhiant: de quibus per contemptum solet dici, eos cum Evandri matre loqui. *Neque* enim, ut ipsemet Tullius 3. de Orat. inquit, *utendum erit verbis iis, quibus jam consuetudo nostra non utitur*. Symmachus pariter l.3. ep.11. amicum reprehendit, quia verbis

bis antiquatis, &, ut vocat, Nestoreis nimiùm uteretur; monetque ut sui sæculi linguam admittat. Huic adde Persium, qui Satyrarum 1. quosdam ridet Archäismorum magistros, qui Pueris rancida quædam inculcant

Euge Poëta,
Est nunc Brisei quem venosus liber Accj
Sunt quos Pacuviusque, & verrocosa moretur
Antiopa, ærumnis cor luctificabile fulta:
Hos Pueris monitus patres infundere lippos
Cum videas, quærisque undè hæc sartago loquendi
Venerit in linguas? undè istud dedecus, &c.

Seneca quoque suorum temporum nonnullos arguit epist. 114. obsoleta affectantes: *Multi*, inquit, *ex alieno sęculo petunt verba: duodecim tabulas loquuntur. Gracchus illis, & Crassus, & Curio nimis culti, & recentes sunt: ad Appium & ad Coruncanum redeunt &c.* In eadem sententiâ sunt Macrobius Saturn. l. 1. 5 *Antiquitatem tibi placere ais, quod honesta, & bona, & sobria, & modesta sit. Vive ergo moribus præteritis loquere verbis præsentibus; atque id, quod à Cæsare scriptum est, habe semper in memoria, ut tamquam scopulum, sic fugias inauditum atque insolens verbum.* Erasmus de Utrâque verb. copiâ l. 1. *Et hodiè danda est opera, ne molestè loquamur, longèque recedamus ab istorum studio, qui rectè loqui putant inusitatè loqui, quique (quod eleganter dictum est à Diomede) ita demum sibi videntur ingeniosi, si ad intelligendos ipsos opus sit ingenio.* Ex his omnibus facilè deducitur Antiquatis nullum in Oratione locum, nisi per jo-

cum,

cum, & Ironiam : veluti si quis ineptum antiquitatis affectatorem ita notet : hic profectò dignus est, qui apludam edat, & flocces bibat.

II. Poëtica dicimus verba quæ in versu rectè usurpantur, sed in oratione liberâ parciùs aut nihil; præsertim si fuerint composita. Poëtica sunt multa Patronimica *Romulidę, Christigenæ &c. velivolum mare, aræ thuricremæ, barbigeræ capellæ*, & multa alia nomina, & verba simplicia, *grates* pro *gratias*; *furiare* pro in *furorem agere*; *clarare* pro *illustrare*; *cinctutis* pro *cinctis*; *eliminare* pro *efferre foras arcanum*, quo tamen usus est M. Tullius pro *ejicere*. Apud ipsum itidem legas, *tabificus, vastificus, tristificus, ingratificus, flexiloquus, umbrifer, nugiger, velificor, lucrifacio, bicorpor, &c.* Quæ Poëtica sunt. Ex quo inferas quandoque etiam admitti posse, non tamen coacervatim; in quo peccavit Herodotus, qui sine modo, ac lege suis scriptis Poëtica inservit, atque propterea in notam incurrit teste Hermogene περὶ ἰδεῶν, & Longinus περὶ ὕψους Ὁμηρικώτατον vocat.

III. Dura sunt, quæ parum commodè transferuntur, & quæ auribus non leniter sonant. Notatus est qui Rempublicam castratam dixit morte Camilli, cum sentiret illius robur Civitatis unà cum illo concidisse, ob duram translationem Horatius l. 1. Sat. 1. notat Furium quendam, qui scripsit

Juppiter hybernas cana nive conspuit alpes.

His affine fuerit illud : *campos pacis sustulit* :

fudit : *belli montes excitavit* : mollius erat, si à mari tranquillo, ac turbato duxisset metaphoram. Verba dura perpetuò fugienda in oratione ducimus, nisi quid hispidum, ac insuave exprimere volumus. Adeo enim veteres horridum verborum vitarunt sonum, ut nihil magis. Argumento sit, quod hanc ob causam pro *duello, bellum*; pro *magis velle, malle* : pro *non velle, nolle* : pro *medidie, meridie*: pro *absfer, aufer*; pro *insapiente, insipiente &c.* dixere. Similiter eandem vocum acerbitatem non semel, aut per syncopen, aut per apocopen & synæresin abstulere. Ideo dicimus *amasti amasse* pro *amavisti, amavisse* : *virum, nummum*, pro *virorum, nummorum*: *ain, metu, die, tribunal* pro *aisne, metui, diei & tribunale*: *peculi* & *redeo* : pro *peculii*, & *reeo*. *Elegans igitur*, inquit Ludovicus Carbon. lib. 1. de Eloc. Orat. Disput. 5. *& exculta oratio horridas, & vastè biantes voces refugit, ut aurium voluptati morigeretur*. Plura de his dabimus Parte II. cap. 7. Pro nunc adnotasse sufficiat Thucydidem à Græcis asperitate vocum damnari; ut testantur Phalereus Demetrius, Muretus aliique. E Latinis ab ejusmodi verbis minus cavit Tacitus, ut tenent Bodinus, Muretus &c. Tertullianus in eâdem est navi si credimus Lactant. Instit. l. 5. cap. 3. & Turneb. l. 7. c. 20.

IV. Turpia vocantur quæ honestatem non redolent, sed potius obscœnitatem sapiunt. Hæc ab oratione prorsus proscripta volo, mecumque omnes honesti Oratores. Neque verò audiendi sunt, inquit

quit Tullius, Cynici, aut si qui fuerunt Stoici penè Cynici, qui reprehendunt, & irrident, quod ea, quæ turpia re non sint, nominibus, ac verbis flagitiosa ducamus: illa autem quæ turpia sunt, nominibus appellemus suis. *Latrocinari, fraudare, adulterari*, re turpe est, sed dicitur non obscœnè. *Parricidium* & *incestus* verecundè nominantur, cùm utrumque factu sit turpissimum. *Exonerare alvum, reddere lotium* re turpia sunt non nomine. *Parere* verecundè dicitur quod tamen turpe fieret in propatulo. Unde igitur ducitur obscœnitatis ratio? Non aliundè, quàm ab usu; non quorumlibet, sed eorum, quorum casta est oratio: videmus enim simplex verbum interdum obscœnius esse translato, interdum translatum simplici. Exemplis parco, ut parcam verecundiæ. Igitur *longè recedendum est*, ut monet Seneca Declam. 2. *ab omni obscœnitate verborum, & sensuum. Quędam satius est vel cum causæ detrimento tacere, quàm verecundiæ detrimento dicere*. Quapropter membrorum omnium voces, quæ Christiana modestia humano quodam pudore velavit, sicuti & earum actionum, quæ palàm facere verecundaremur, ne adhibuerimus; sed naturam ducem habeamus, quæ in homine quidquid speciem habebat honestam, posuit in promptu; quod autem deforme aspectum erat habiturum, illud abdidit, atque contexit. Quæ enim natura occultavit, eadem omnes qui sanâ mente sunt removent ab oculis. Sanè non in Oratoribus modò, sed in Poëtis quoque, quicumque illi sint,
dam-

damnanda censeo Turpia verba. Neque enim unquam acquiescere eis potero, qui Satyricis, ac Historicis tantum licentiæ concedunt; cùm idcirco illorum lectio pueris præsertim interdicta sit, quòd minus castè loquantur, à quâ qui non abstinent facilè inficiuntur. Præterea si Satyra adhoc instituta est, ut eâ vitia insectentur; quare eas confarciamus vocibus, è quibus qui legunt evadant deteriores? *Nam sanè*, inquit Scaliger l. 3. Poët. c. 98. *fœditates nemo bonus nominare debet nedum ut litteris mandet. Quid enim cogitet adolescens, qui certarum ignarus obscœnitatum, audiat verba aut vocabula tam nefanda, quam monstruoso sunt ingenio ji, qui ea scriptis suis audent inserere? Malo igitur non reprehendere vitia detestanda, quàm in execranda oratione mereri reprehensionem. Si quis igitur aliena peccata insectetur, ea modestia utatur, ne suum librum efficiat eo nequiorem, de quo verba facit.* Scaligero consentit Viperanus Poët. l. 3. c. 5. *Ab omni fœditate rerum, & verborum Satyricus Poëta abesse debet, ne dum animos purgare à sordibus velit: turpioribus maculis inquinet.* Turpitudine verborum multi ex Antiquis Poëtis notantur; inter quos Princeps Juvenalis: Catullus inde, Martialis, Ausonius, Terentius &c. Hos Pueri, si lectitare voluerint, poterunt; modò expurgata exemplaria habeant: sin minus, prorsus abstineant. Suetonius hoc solùm improbatur, quod cùm Principum turpes voluptates studiosè nimis insectatus sit, verba turpia quandoque frequentavit: sed eò lon-

longiùs peccavit Lampridius, dum voluptatum genera omnia ab Heliogabalo invecta descripsit; contra verò Demosthenes, Eschines, Eliodorus, quorum insignem verecundiam Ulpiani Rhetoris interpres commendavit. Quia verò, quod solet accidere, turpe quid exprimere interdum necesse est; quomodo id sine obscœnitate, castarumque aurium læsione præfari queat, restat ut præscribamus. Primùm vocabulum pro vocabulo substituere possumus: ut docet Hermog. de Invent. l. 4. cap. 11. Et Minturn. lib. 6. Poët. *Quod obscœnum est, si minus honestè propriis verbis enuncietur, translatis utemur, & immutatis*. Sic Menander factum turpe expositurus, honestè dixit *cognovit me*. Secundò modestè rem turpem exponimus per ea, quæ ipsam aut præeunt, aut subsequuntur: quod fecit Homerus Odyss. 11. qui congressum significavit per solutionem virgineæ Zonæ. Sic Virg.

Speluncam Dido, Dux & Trojanus eandem
Deveniunt.

Tertiò per Periphrasin, quæ ut scribit Beda fig. Sacr. Script. *fit ornandæ rei causa quę pulchra est; aut vitandæ quæ turpis est*. Sic Jacobus Sannazarius partem posteriorem verendam, non minùs venustè, quàm verecundè circumlocutus est his verbis; *Unde prodeunt auræ, quæ de Sabæis Messibus nihil spirant*. Quartò turpia si in causam veniant, præteritione attingi possunt, ut in Verr. 3. fecit Tullius, cùm ait: *Itaque primum illum actum istius vitæ turpissimum, & flagitiosissimum prætermittam*. *Nihil à me*

de pueritiæ suæ flagitiis, peccatisq; audiet &c. Ubi & decorem servat, & adversarium gravius lædit, quàm si rem omnem propalam efferret. Fabius quoque Declam. 3. *Imperator, pudet me quod intelligis. Non audeo dicere, Imperator: parcendum verbis est: inhibenda magna ex parte veritas: prævaricandum mihi est, si pudorem habeo.* Eundem pudorem Heroici servârunt interdum Poëtæ. Sic Maro Æn. 8.

Et verba locutus
Honestos dedit amplexus, placidumque petivit
Conjugis infusus gremio per membra soporem.

Sed de his plusquam satis. Nunc de Raris pauca dicamus.

V. Rara Verba censentur, quorum apud probatos auctores rarus est usus, quibus rarò uti licebit, ut semper rara maneant. Huc etiam spectant, quæ in aliquo genere, casu, numero, præterito, supino hac vel illâ declinatione rariùs frequentantur; quamobrem *phœnix* v. g. meliùs virili, quàm fœmineo casu cadit; sæpiùs *explicavi*, quàm *explicui*; potiùs *alitum*, quàm *altum*, *raucesco*, quàm *rauceo &c.*

VI. Peregrina sunt, quæ ex aliis linguis, quàm ex Latinâ sumuntur: quibus ideo utimur, quòd sint Romanâ Civitate donata. Hujus ordinis sunt *gaza* pro divitiis vox Persica; *Acinaces* pro gladio, Medorum; *Essedum* pro rheda, Britanicum; *Ungulum* Oscorum linguâ, annulus dicitur; *Cascus* pro vetulo Sabinorum est; *Uri* pro bobus feris, Gallica vox est, quemadmodum & *merga* pro medullâ sive

adipe

adipe terrę *Faraſanga* pro ſpatio triginta ſtadiorum, Perſicum. His affinia nonnulla recenſet Fabius l. 1. c. 5. his verbis: *Peregrina ex omnibus propè dixerim gentibus, ut homines, ut inſtituta etiam multa venerunt.* Et mox. *Plurima gallicè invaluerunt, ut* rheda, *&* petoritum *quoque, quorum altero Cicero tamen, altero Horatius utitur; &* mappam *quoque uſitatum Circo nomen, Pœni ſibi vindicant, &* gurdos, *quos pro ſtolidis accipit vulgus, ex Hiſpania duxiſſe originem audivi.* Quia verò ex Græciâ, magnâ ex parte Latinus ſermo profluxit; ut univerſa ſentit Literatorum turba, videndum in præſenti quando, aut quomodo Græcis uti poſſimus. Neque enim aſſentior illis, aut laudo, qui, cùm vix bene prima Græcæ linguæ teneant elementa, omnia Græcis vocabulis implent; ut ſe Græcè ſcire oſtentent; cumque Latinè, propriiſque verbis animi ſenſus exponere poſſint, ad aliena feruntur magis impervia, ſeque in patriâ hoſpites eſſe gloriantur. Ut itaque ridiculus eſſet is, qui cùm Italicè, aut Gallicè loqueretur, tertiis quibuſque verbis varias populorum voces immiſceret; ita ille, qui ſuæ orationi paſſim externa interponeret verba. Utamur ergo Græcis; ſed cum modo, & hiſce potiſſimum caſibus.

1. Si inſit iis aut grave quid, aut argutum, aut ſuave, aut jocoſum, aut hujuſmodi aliquid, quod Latinè elatum, aut fauſtitatem ſuam, & vim dimitteret; aut certè breuius, ac ſignificantius dicitur, quàm latinè. Ita ſentire videtur Eraſmus,

ubi l. 1. de Verb. Cop. hæc habet : *Porrò Græca Latinis in loco intermixta, non mediocrem addunt gratiam. In loco adhibentur, vel cùm Græca vox est significantior, ut λογομαχία pro contentione sive rixa: vel, cùm est etiam brevior, ut φίλαυτος, pro eo, qui sibi placet: vel, cùm est vehementior, ut γυναικομανὴς pro mulieroso. vel: cùm est venustior, ut, si quis de rebus arduis, sed inutilibus disserentem dicat, eum μετεωρολεσχεῖν; aut eum, qui sibi sapiens videatur, cum sit stultus, appellet μωρόσοφον: nam Græcæ vocis gratiam nulla Latina potest assequi: vel cum ad dictum, vel locum auctoris alicujus alludimus; veluti cum notantes aliquem inconsideratiùs locutum, dicimus ποῖον ἔπος &c.*

2. Ubi Latinis vocibus destituimur Græca citra culpam adhibemus; cùm videlicet aliquid fuerit, quod nisi barbarè, aut voce Latinis inauditâ exprimi non posset; tunc nostram egestatem Græcorum copia sublevabit. Ita sentiunt Verepeus l. 2. de conscrib. epist. Ludovicus Carbon l. 1. de Eloc. Orat. cap. 6. ubi hęc leguntur : *Cùm vocabulo latino destituimur, tunc præstat Græcè loqui, quàm barbarè, aut parum latinè. Id frequenter accidit in nominandis arboribus, piscibus, avibus, herbis, medicamentis, partibus humani corporis, instrumentis, suppellectile, gemmis, & lapillis.*

3. Cùm quid tectius, aut occultius scribendum sit amico; quod non à quovis velimus intelligi; quemadmodum interdum fecit Cicero ad Atticum. similiter cùm scribimus ad nobis familiares, & eruditos; quibus multa paucis per allusiones ad historias, fabulas, dicta sapientum, a

ver-

versiculos Poëtarum, Proverbia, & insinuationes significare volumus; ad quæ omnia Lingua Græca, mirum quantam det nobis facultatem. Et quidem in epistolis crebriùs inseri posse Græca vocabula, quàm in orationibus, & poëmatis expressit Majoragius epistolic. quæst. l. 2. ep. 11. cùm inquit: *Scribit, me nimis in epistola mea Græcatum fuisse. Sic enim tu loqueris: hoc est, nimis multa verba Græca inculcasse. Id excusarem; si meum esset exemplum; ac non gravissimos viros hujus rei auctores haberem. Nescis quàm in epistolis ad Atticum Ciceronis multa Græcè posita sint? Sic etiam Plinius sæpè scribit: sic quicumque bonus perlegitur. Quod enim in orationibus, & Poëmatis vitium habetur; si græca verba immisceantur; id in epistolis modò appositè fiat, vehementer laudatur.*

Ac ne singula persequar; quoties (ut sentit Erasmus loco superiùs laudato) invitat aliqua commoditas, rectè Græca Latinis intertexentur; præsertim cùm ad eruditos scribimus. Cæterùm, cùm nihil huc invitat, velut ex instituto, sermonem semilatinum, & semigræcum texere fortassis in adolescentibus, semet ad utriusque linguæ facultatem exercentibus veniam mereatur: in viris, meâ sententiâ, parum decora fuerit hæc ostentatio. Quas demum ratio jam donatas habemus voces, eas sine metu ubilibet, & quotiescumque mens fuerit adhibebimus; cujusmodi sunt; *rhetor, hypotheca, sycophanta, Philosophus, Theologus, Grammatica, Dialectica &c.* in quibus ipsis varietas inerit, si modo Græcâ, modò La-

tinâ formâ inflectantur, ut *scorpius*, & *scorpio; elephantus*, & *elephas; grammatica, æ, grammatice, grammatices &c.* Quod de Græcis diximus, idem de aliarum gentium vocibus dicendum; namque ubi nobis verba deerunt, quibus res designemus, tunc ab aliis linguis ea petemus; quod suadet etiam Fabius. Peregrinarum vocum usurpatione celebriores olim apud Græcos Homerus, & Thucidides; apud Latinos verò Ennius, ac perpaulùm Maro. De Homero Dio Prusiensis testatur orat. 12. *Ars Poëtarum*, inquit, *valde contumax est, & incorrigibilis, & maximè Homeri plurima utentis libertate, qui non unum dictionis elegit characterem; verùm omnino Græcorum linguam hactenus separatam commiscuit, Dorum, Jonum, &c. Multa quoque Barbarorum accepit, à nullo abstinens nomine, quod voluptatem, aut vehementiam illi habere visum est.* De Thucydide Dionysius Halicarn. 939. *Thucydides in electione verborum cuique genti peculiarem, & obsoletam, ac peregrinam dictionem, communi, suoque tempore usitatæ linguæ anteponit.* Et 989. *Vocabulorum, quæ non ab omnibus passim, sed propriè ab aliqua gente usurpantur, item vetustarum, & Poëticarum, peregrinarumque dictionum apud eum usus est frequens.* De Ennio, & Marone hæc habet Hieronymus Columna in Comment. ad Enn. *Quoniam Homerus ex omni Græcorum dialecto characteres delibavit, suisque Poëmatis inseruit; Ennius ne transversum, ut aiunt, ab eo unguem discederet, multas exteras dictiones Romanis immiscuit &c. Maro quoque, tantorum Poëtarum exemplo, non abhorruit Divina*

sua

sua carmina alienigenis aliquot vocibus conspergere. Sabina enim lingua Cupentus *dixit, Persica* gaza, *Macedonica* phalanx; *Gallica*, Uri, gesa, *Punica* magalia. Atque hactenus de verbis, quæ uniuersim loquendo ab Oratione latinâ removenda sunt; nunc de jis, quæ cum virtute vsurpari possunt, agendum.

De Verbis in Oratione usurpandis, ac de quatuor Latini Sermonis temporibus.

Cap. III.

I. EX dictis apertè deducitur, quænam Latini sermonis voces esse debeant; eæ scilicet, quæ ab optimi, ac felicis sæculi Scriptoribus frequentatæ sunt, quæque ab eorum, quæ extant, excerpenda sunt voluminibus. Neque enim quælibet omnium temporum locutio æque probanda est; quia tanta temporum intercapedine variè Romanus sermo est immutatus. Quidam, ut Sciopplius, varias Latini sermonis ætates distinguunt, nempè, Auream, Argenteam, Æneam, Ferream, Ligneam, Luteam. Nos cum Hadriano lib. de serm. Lat. aliisque permultis, in quatuor tempora, Priscum, Antiquum, Optimi Sæculi, ac Declinantis sive Corrupti, vocabula omnia dividimus, eaque hisce carminibus comprehendimus.

Quatuor in Latio distingues tempora; Priscum;
Antiquum, Felix, Corruptum. Concipe quali
Vixerit Auctor, opus cujus legis; hinc bene verba

Quæ fugienda tibi, tibi quæve sequenda, videbis.

II. Prisca dicimus, quæ in usu fuerunt ab Urbe conditâ usque ad Livium Andronicum; intervallumque illum quatuordecim, & quingentorum annorum facit Tullius in Bruto; alii verò vsque ad Romæ direptionem à Gallis factam, hujus ætatis spatium contrahunt. Livius itaque, qui primus hujus tempestatis recensetur Scriptor, fabulas docuit; non tamen satis dignas quæ iterum legerentur. Ejus etiam nunc extant Fragmenta; Poëtam enim fuisse, versusque illius non dignos liturâ testatur Horatius, ubi inquit:

Non equidem insector, delendáve carmina Livj
Esse reor &c.

Per hæc ipsamet tempora doctos, summosque viros floruisse, suspicari magis, ut loquitur Cicero, quàm intelligere possumus; cùm nulla eorum perdurent monumenta; præter Orationem Apii Cæci, nonnullaque funebria encomia; ut in Originibus, scriptis mandavit Cato. Nonnulla insuper Legum fragmenta, de quibus vix lubet ferre judicium. Nec tamen hoc cuiquam miraculo esse debet, si Romanam devastationem à Gallis factam anno CCCLXV. ab V.C. consideremus; aut si temporis habeamus rationem; nam, ut scribit Livius lib. 6. c. 1. *Raræ per eadem tempora literæ fuere: una custodia fidelis memoriæ rerum gestarum: & quod etiam, si quæ in commentariis Pontificum, aliisque publicis, privatisque erant monumentis, incensa Urbe, pleræque periere.*

III. Antiquæ ætatis spatium damus, ab

ipso Livio Andronico, usque ad Ciceronis tempora. In hoc intervallo, etsi quamplurimi doctissimi homines vixerint; eos tamen sine ullo verborum delectu, imò incultis pluries, atque horridioribus locutos, sequior illis ætas adnotavit, undè Martialis:

Accius & quidquid, Pacuviusque vomunt.

Et Cic. de Cl. Orat. *Illius autem ætatis qui sermo fuerit, ex Nævianis scriptis colligi potest.* Et subdit: *Cæcilium, & Pacuvium malè locutos videmus.* Non tamen omnes pari pacto locuti; nam quidam obscuriùs, alii comptiùs & ornatiùs; itaut si quædam prudenti judicio rescindantur, non prorsus lectione, imitationéque indigni habendi sunt. Neque enim, ut prudenter Macrobius Saturnal. l.6. c.3. quisquam *ex hoc viles putet veteres Poëtas* (idem & de Oratoribus sentias) *quod versus eorum scabri nobis videntur. Ille enim stylus Enniani sæculi auribus solus placebat; & diu laboravit ætas secuta, ut magis huic molliori stylo acquiesceret.* Nec etiam defuerunt imperantibus Vespasianis, si credendum Crinito Poët. Lat. lib.2. cap.19. Qui Lucretium pro Virgilio, & Lucilium pro Horatio legerent. Ut verò Adolescentes proprium cujusque Scriptoris characterem habeant, melioresque quos legant discernere possint, de illorum nonnullis hic judicium proferemus, ex illustrium Virorum, quam tulere, sententiâ depromptum.

1. Hujus Ætatis Poëtæ recensentur præcipui Q. Ennius, M. Accius, Plautus, Cn. Nævius, Mar. Pacuvius, Stat. Cæci-

lius, Lu. Actius, Pub. Terentius, Cajus Lucilius, Sex. Turpilius, Cn. Matius, Luc. Afranius, Quint. Trabeas, C. Licinius Imbrex, Q. Novius, quorum omnium Fragmenta prostant in corpore Poëtarum Latinorum Genevæ in 4. 1627.

2. Ennius ex Criticorum sententiâ alter Homerus olim habitus est, ut scribit Horat. l. 2. epist. 1.

Ennius & sapiens, & fortis, & alter Homerus
Ut Critici dicunt.

Maroni prælatum fuisse, dum ille adhuc erat in vivis, testatur Martialis l. 5. epig. 10.

Ennius est lectus salvo tibi, Roma, Marone.

Sed ejus stylum hispidum esse etiam nunc omnes fatentur cum Ovidio, qui de Trist. hæc protulit:

Ennius ingenio maximus, arte rudis.

Decantatum est etiam illud Virgilij effatum, quo se aurum ex stercore Ennij colligere dictitabat. Torrentius ita eum negligenter scripsisse affirmat, ut videatur parvi facere quod de se promiserit, aut somniaverit; Animam scilicet Homeri in se immigrasse.

3. Plauto nullus magis incorruptam servavit antiquitatem; nullusque eo castiùs; adeo vt inter veteres communi adagio convenerit; Musas ipsas, si latinè loqui velint, non alio sermone usuras, quàm Plautino; quapropter paucis quibusdam vetustis vocibus declinatis (sic enim ipsi tum loquebantur) lectioni, imitationique est maxime proponendus. Et sanè ubi elegantiores, atque amœniores quàm in

illo

illo sales? quò propterea à Lipsio de Mil. Rom. l. 2. c. 1. *Pater leporum* dictus est: à Casaub. *ingeniosissimus, & facetissimus;* à Taumanno. *Latinę Comedię Princeps, Musarum, gratiarumque hortus*. Græcos comitate superasse testatur Sidonius Carm. num. 23.

Et te tempore, qui satus severo
Graios, Plaute, sales lepore transis.

Sed universas hujus laudes paucis perstringere nostrum non est: quare indicasse sufficiat.

4. Nævius Comœdiographus nimiâ usus est in suis scriptis verborum licentiâ, atque petulantiâ in redarguendis præsertim Metellorum vitiis; quamobrem in vincula quoque conjectus fuit. Stylum alioqui habuisse eruditum, & gravem tradit Crinitus l. 1. de Poët. Lat.

5. Pacuvium celebrat Fabius lib. 10. eumque clarissimum dicit gravitate Sententiarum, verborum pondere, & auctoritate personarum. In quâ sententiâ & M. Cicero fuit, qui hunc ipsum cæteris omnibus Tragediâ facilè præfert; versusque illius magnoperè commendat. Plinius quoque, ejus opera apud veteres magno in pretio fuisse retulit.

6. Statium Cæcilium suis temporibus principem locum tenuisse in scribendis Comœdiis, Sedigitus Volcatius protulit; qui insuper non tantùm Plauto, & Terentio, sed reliquis omnibus Comicis sine controversiâ præponit.

7. Terentii locutio politior, atque nobilior Plautinâ quibusdam visa est; melio-

res contrà sensere, quibus sterilis, ac parcior videtur; utpotè qui rem, cùm sese obtulerit sæpius dicendam, eodem ferè semper modo, aut paucis admodum mutatis efferat: cùm Plautus in eo nunquam sit sui similis, novusque in novä oratione semper appareat. Sed audiamus Viri Cl. Justi Lipsii judicium quæst. epistol. l. 2. ep. 18. *Terentius æquabilior, & magis, ut sic dixerim, unius fili. Fateor: sed usurpabo de eo vetus dictum: Terentius nihil peccat, nisi quod non peccat. Hac æquabilitate censuram Cesaris meruit.*

Lenibus atq; utinam verbis conjuncta foret vis
Comica; ut æquato virtus polleret honore
Cum Græcis; neq; in hac despectus parte jaceres.
Unum hoc maceror, & doleo tibi deesse, Terenti.

Hæc vis, & varietas in Plauto est. Nunc ille adsurgit; nunc submittit; nunc protrita, nunc grandiora dicit. Proponit vitia, & castigat; locos communes, ethica, & politica admiscet; aliud quidem agens, sed quasi hoc unum agens, & omnia, tamquam sale, venustissimis jocis adspergit: quæ certè Terentius per somnium non cogitat, per jocum non tentat. Terentium ipsum amo, admiror; sed Plautum magis. Uterque adolescentibus in manu, in sinu, in oculis sit.

8. Cajum Lucilium Satyræ inventorem, Flaccus Lutulentum vocat, & in scribendis carminibus incompositum l. 1. Sat. 4. v. 6.

Hinc omnis pendet Lucilius hosce secutus.
Mutatis tantùm pedibus, numerisque facetus
Emunctæ naris, durus componere versus
Non fuit hoc vitiosus in hora sæpe ducentos,
Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno.

Cùm

Cùm flueret lutulentus erat, quod tollere velles.
Gellius lib. 2. Quintilianus, aliique à Flacco dissentiunt; fortassis quia hac in parte depravatum illius judicium videant, quemadmodum & illud fuit, quod de Plauto tulit de Arte Poët. Fabii verba subjungam ex lib. 10. *Satyra quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius, qui quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non ejusdem modò operis auctoribus, sed omnibus Poëtis præferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum, & esse aliquid, quod tollere possis, putat: Nam & eruditio in eo mira, & libertas; atque inde acerbitas, & abundè salis.* Hæc ille. De reliquis supra laudatis Poëtis vix refert ferre sententiam. De Oratoribus, qui extiterint clarioris nominis, modò Laconicè recenseamus; sunt enim fere omnes Ciceronis pennicillo expressi lib. de Cl. Orator. Principium tenet, si non principatum, *L. Junius Brutus*, cujus tempore florere cœpit eloquentia; nam funebri laudatione decoratus fuit. Ejus exornativi generis Orationes jam inter facundiæ delicias numeratas fuisse, auctor Halicar. l. 5. Antiq. Rom. *Menejus Agrippa*, cujus eloquentia prisca quidem, & horrida, sed ipso horrore veneranda. Recitat illius Orationem Livius l. 2. prope Anienis ripam habitam. *Appius Claudius*, cæcus quidem, ingenii tamen lumine, ut constat, præcellens. Extat apud Plutarchum gravissima illius Oratio habita in Senatu, qua turpes Pyrrhi conditiones

Se-

Senatui oblatas pro pace, discussit. *M. Cornelius Cethegus*, qui Consulatum gessit an. ab V.C. DC. eloquentiæ laudibus enituit, de quo notissimi Ennii versus Annal. l. 9.

Additur Orator Cornelius suaviloquenti
Ore Cethegus Veturio collega, Philoni
Filius. is dictus ollis popularibus olim,
Qui tum vivebant homines, atque ævum agitabant
Flos delibatus populi, suadæque medulla.

M. Cato Senior, quo nec in laudando gravior, acerbior in vituperando, in sententiis argutior, in Tropis, verborumque flosculis crebrior, in dicendo subtilior alius per hæc tempora reperiri facilè poterit; ut ex jis, quæ supersunt, fragmentis colligere est. Antiquior tamen quia est ejus sermo, & quædam horridiora verba habet; opus foret immutare, quod tum ille non potuit, cùm ita loqueretur; numeros addere, & sic neminem præferres Catoni. Fusius in ejus laudes excurrunt Plutarc. in Cat. Dionys. Halic. Cic. aliique, quos consule. His adde *Q. Fabium Pictorem* inter eloquentes à Tullio adscriptum, literarum, & antiquitatis bene peritum: *C. Lælium, & P. Africanum*, quorum extabant Ciceronis ævo Orationes; ex quibus de illorum ingenio facilè argui poterat: *Servium, Galbam, Curionem*, illustres Oratores: *Tiberium Gracchum, Cajum Carbonem, Cajum Gracchum*, de quo honorificum prostat Tullii judicium in Bruto: *C. Gracchum de superioribus solum lego; imò planè, inquam Brute, legas censeo. Damnum enim,*

enim, illius immaturo interitu res Romanæ, Latinæque fecerunt. Et mox. *Eloquentia quidem nescio an habuisset parem neminem. Grandis est verbis, gravis sententiis, genere toto gravis. Manus extrema non accessit operibus ejus: præclarè inchoata multa, perfecta non planè. Legendus est hic Orator, si quisquam alius Juventuti; non enim solum acuere, sed alere ingenium potest.* Videatur Gellius l. 10. Val. Max. l. 8. c. 10. Plutarch. in Grac. Prædictis coævi fuere *Q. Catulus*, cujus oratio adeo pura fuit, ut Latinè loqui penè solus videretur. *M. Antonius*, in quo Romana eloquentia cum Græcâ æquata; *M. Crassus*, in quo Latinè loquendi accurata, & sine molestia diligens elegantia: *Servius Sulpitius*, cujus eximia laudatio extat Philip. 9. *Cotta*, *Hortensius*, & *Marcus Crassus junior.* In Hortensio apparent magna vis ingenii, atque felicitas, quæ auctiori culturâ caruit; melius dicebat, quàm scripsit; & ejus scripta, ut ait Quintilian. lib. 11. intra famam sunt: Crassus è contra Orator submediocris habitus est: in ejus namque sermone flos nullus fuit, neque lumen ullum. Præcessere itidem Tullium Oratores *Pompejus*, *M. Callidius*, *Piso Tullii Gener*, *C. Licinius Calvus*: primum ferunt orationis satis amplum, cujus actio haberet & in voce magnum splendorem, & in motu summam dignitatem: alter inter multos penè singularis fuit, qui per illud tempus floruere Oratores. Tertius verborum delectu, atque elegantiâ summoperè enituit; amavitque aptam, & quasi rotundam constructionem; ultimus

mus demum morosâ, atque meticulosâ eloquentiâ notatus est. Porrò proximiores Ciceroni, universè loquendo, castiùs, atque comptiùs fuisse locutos, idemmet pluribus in locis non obscurè innuit: verùmtamen semper ultimam illis defuisse manum apparuit. Et hæc de Antiquo tempore dicta sufficiant.

IV. Fælicis, & optimi sæculi ætas, omnium judicio, Ciceronis, ac Cæsaris tempora comprehendit; tunc enim vetus illa rubigo detergi, & sermó adeo expoliri cœpit, ut ad summum brevi pervenerit; ut deducitur ex hisce Cic: in Bruto: *Certè nos & boni aliquid attulimus Juventuti, magnificentius quam fuerit illud genus dicendi, & ornatius: & nocuimus fortasse, quod veteres Orationes, non à me quidem (meis enim illas antepono) sed à plerisque legi sunt desitæ.* Et in Tusculan. non solùm ætatis suæ contestatur perfectionem, sed interituram brevi eloquentiam, jam ad culmen usque productam, prædicit: *Oratorum laus, ita ducta ab humili venit ad summum; ut jam, quod natura fert in omnibus rebus, ferè senescat, brevique tempore ad nihilum ventura videatur.* Hoc quoque non obscurè indicat Horatius, qui in Lucilium Poëtam insurgens Sat. 1. 10. v. 67. hæc recitat:

Sed ille
Si foret hoc nostrum fato delatus in ævum
Detereret sibi multa; recideret omne, quod ultra
Perfectum traheretur; & in versu faciendo
Sæpe caput scaberet; vivos & roderet ungues.

Quibus apertè monstrat, quod Lucilius, quamvis Ennio limatior fuisset, nunquam

tamen ad munditiem, & polituram sui sæculi pervenisset, neque versus tam facile effudisset. Qui floruerint hac ætate non est exigui operis percensere: hoc enim tempus, (ut Solinus, de Augusto verba faciens, asserit) *ferme solum repertum est, quo plurimùm & arma cessarunt, & ingenia floruerunt*. Ut tamen cœptis insistamus, studiosorumque morem geramus voluntati, ex celebrioribus Scriptoribus quosdam numerare, ac de jis qualecumq; ferre judicium necesse est. Atque, ut de Cicerone eloquentiæ Principe taceam, à quo omnis ubertas, atque Silva rerum, verborumque sumi potest, quemque Adolescentes, imò & senes ipsi ob oculos, præ manibus semper habere debebunt, si sermonis nitorem, vim, atque præstantiam desiderant adipisci.

1. Præclarissimus extitit C. Julius Cæsar, cujus Commentariis nihil habent in hoc genere perfectius Latinæ literæ. Propriè loquitur, & significanter, estque in verborum structurâ accuratus, ac omnino placidi instar fluminis procurrens. *Pueris inter primos auctores formandæ linguæ*, ut inquit Lips. Elect. l. 2. c. 22. *si quis proponat nihil erret*. Sed *Juventus*, exclamat Vossius, *proh pudor! satis infrequens est in nobilissimo, atque adeo Divino hoc Scriptore*.

2. Sallustius laude eloquentiæ pariter enituit, pressus verbis, rebus affluens, sensibus dives, ac sublimis; sed in illo floridam illam styli amœnitatem, fluentemque orationis ambitum desiderabilis. Obscurus quandoque, & in translationibus audax;

dax; quare, vt inquit Fabius l. 2. c. 5. *Livius a pueris magis legendus, quam Sallustius, & hic historiæ majoris est auctor; ad quem tamen intelligendum, jam profectu opus sit.*

3. Titum Livium *lacteo eloquentiæ fonte manantem* dicit Hieron. t. 3. epist. ad Paulin. illamque *ætatem, inauditum omnibus sæculis, celebrandumque miraculum* habuisse, inibi contestatus est. De eo præclarè Quintil. l. 8. c. 1. *Est*, inquit, *narrando miræ jucunditatis, clarissimique candoris: tum in concionibus, supra quam narrari potest, eloquens.* Patavinitas ei objecta est ab Asinio Pollione, nimirum delicatum Romani hominis palatum sibi aliquid sentire videbatur, quod non Romanum, sed peregrinum saperet.

4. Extant & A. Hirtii Pansæ (seu Oppii ut defendit Sueton.) libri de bello Africano, Alexandrino, & Hispaniensi. De belli Africi libro hæc Lipsi. Elect. l. 2. c. 22. *Inter libellos, qui adjuncti Commentariis Julianis, unus est de Bello Africo, qui, me judice, non inter illos tantùm eminet, sed inter pleraque Romana scripta. Ita tersa in eo, & ad Comicum morem pura dictio; simplex, cohærens, & candida narratio, nihil quæsiti coloris, aut fuci: omnia denique illo ipso Cæsare digniora, quàm Commentarii illi, qui feruntur. At neglectus tamen jacuit, imò vix lectus is libellus, quem si seriò inspicis, fatebere non alium magis esse ad genium prisci ævi.* Reliqui duo, duriusculi habentur, militari quodam, & horrido stylo scatentes; ac proinde non ab eodem Patre profecti creduntur. Scaliger tamen, nihil latinius

conci-

concipi posse libello de bello Hispaniensi, scripsit Proleg. in Manl.

5. Cornelii Nepotis Illustrium Virorum vitæ, dignæ insuper quæ legantur; verùm in illis dubium non est, nonnulla posterioribus sæculis irrepsisse, ab ævi Augustæi auro remotiora, Æmilii, credo, Probi operâ, cujus nomen multis sæculis Libellus Nepotis præscriptum habuit.

6. Varronem, atque Vitruvium non est quod adolescentes terant: scatent enim archaismis, verbisque novatis; adeo ut in unicâ Vitruvianâ voce explicandâ plurimi Studiosorum prodierint libri. Præterea illis elegantiam defuisse mostrat Agellius l. 20. c. 2.

7. Ex Poëtis hujus temporis principes sunt Virgilius, Lucretius, Ovidius, Catullus, Tibullus, Propertius, Cornelius Gallus, Horatius &c. de quibus omnibus præclarissima extant eruditorum judicia. Et quidem Virgilium fuisse Homericæ perfectionis per omnia imitatorem, nullius disciplinæ expertem, omnium Latinorum Poëtarum purissimum, atque elegantissimum, non est qui non fateatur: quare præ manibus hunc semper habere hortatur Augustinus his verbis: *Virgilium Pueri legant, ut Poëta magnus, omniumque præclarissimus teneris imbibitus annis, non facile oblivione possit aboleri.*

8. Lucretium quidam Virgilio ipsi prætulere; non tamen meritò. Neque enim inficias ibo, in illo summam ingenii vim, & orationis splendorem incredibilem, puritatem, copiam, majestatemque inesse;

inesse; sed illum quoque verbis duris, ac planè Ennianis quandoque uti, versusq; quasi solutæ orationi similes effundere, quis neget? Detergunt tamen hanc illius notam summi viri Petrus Crinit. l.2.c.19. Jo: Bapt. Pius in præf. ad Lucr. Lambinus, aliique variis rationibus; ac potissimum, quod res tetrica, atque difficilis, quam pertractat, vix sine scoriâ pedestri versibus potuerit includi.

9. Ovidium, ingeniosissimum, copiosissimum, elegiacorumque omnium ferè Principem, cum Romano Philosopho, haud inviti confitentur, quicumque de ingeniorum præstantiâ judicium facere possunt. Versus enim effundit naturâ facillimos, suaves, ac ab omni antiquorum verborum fœce prorsus illimes. Novavit tamen nonnulla; illique duo defuere lima, & fræna linguæ; quapropter non omnia ejus Opera studiosis legenda propono; sed libros, qui de Ponto, & Tristibus inscribuntur, qui etiam inter alios sermonis nitore, gravitate magis excellunt. Si quis tamen se nimium illius lectione allectum senserit, poterit ad Fastorum, & Metamorphoseon libros usque excurrere.

10. *Versus Catulli*, ut inquit Crinitus lib.2.c.27. *quamvis ut duriusculi notantur (quod uterque Plinius asserit) tamen perelegantes habiti sunt, & sectatores complures in his invenit.*

11. Propertii tanta jucunditas, & amœnitas est, ut ejus carmina dictantibus Musis à Poëta excepta censeas: *Facilis*, ait

ait Scaliger Poët. l. 6. c. 7. *verè elegiacus; tersior tamen, quàm existimatus est à Criticis; nam & amat quædam, quæ minimè sunt vulgaria.* Non amare Musas, qui Propertium non amet, Lipsii effatum est: Neque enim nil nisi mulsa, ut Comicus dixit, loqui videtur. Utinam etiam nil nisi honesta loqui videretur.

12. De Tibullo accipe quid sentiat Crinitus Lat. Poët. l. 3. c. 40. *Tibullus libros elegiarum composuit, in quibus facilè probatur, quàm elegans, & candidum sit ejus carmen, ut ejusmodi coloribus describendis Latinos omnes videatur superasse, cum affectibus exprimendis, tum elegantia, & suavitate ingenii.* Jo: Scopa l. 1. cap. 31. Variarum lect. ejus carmina tersa, & emuncta dicit. Sed quanta fæce scatet inhonestatis!

13. Cornelius Gallus in Elegiâ eximius habitus olim fuit. Duriorem tamen extitisse Fabius protulit. Leguntur ætate nostrâ Elegiarum libri sub nomine Cor. Galli; quâ in re, ut ait Crinitus, facilè est imponere imperitis hominibus. Qui autem paulo diligentiùs antiquitatem observaverunt, nihil minus censebunt, quàm ut hi referendi sint ad Poëtam Gallum.

14. Lyricorum Horatius ferè solùm legi dignus, si credimus Fabio l. 10. cap. 1. nam & insurgit aliquando; & plenus est jucunditatis & gratiæ, & variis figuris, & verbis felicissimè audax. Ejus Elogium transcribam ex Scalig. Poët. lib. 6. c. ult. depromptum: *Quis Horatii stylo putet ullam*

lam censuram esse potiorem? Est enim omnium Latinorum, Graecorumque Poëtarum elaboratissimus. Nam in Lyricis, quem sonum, quos numeros, quam majestatem quaesivit, obtinuit. quam puritatem, elegantiam, venustatem appetiit, consecutus est. Carminum libri, vel jucunda inventione, vel puritate sermonis, vel figurarum tum novitate, tum varietate, majores sunt, non solùm omni vituperatione, sed etiam laude: neque solo dicendi genere humili contenti, verùm etiam sublimi maximè commendandi.

Igitur, qui incorruptè, & candidè loqui velit, ab hujus ævi Scriptoribus non discendat; quod si ad Declinantis quoque Sæculi Auctores deflectere volumus; id tantùm lectionis, artisque captandæ causâ fiat; non verò iis tamquam genuini, & verè aurei sermonis magistris, utemur. Sed ad Declinantem veniamus.

V. Sæculum Declinantis sermonis, ab excessu Augusti recensemus. Ejus namque Imperio ad finem vergente, stylus cœpit immutari; ac nobilis ille Romanorum candor, & lepos inquinari; ut ex scriptis eorum, qui tunc vixere, deduci potest. Et vt ex omnibus, unum Senecam seligamus; hic in Controvers. 1. hæc habet: *Deinde, ut possitis æstimare, in quantum quotidie ingenia decrescant; & nescio qua iniquitate naturæ, eloquentia se retro tulerit; quidquid Romana facundia habet, quod insolenti Græciæ aut opponat, aut præferat, circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia, quæ lucem nostris studiis attulerunt, nunc nata sunt.* Scripsere non sine laude primis hisce

sce declinantis sæculi temporibus

1. Q. Curtius, aureâ prorsus dignus ætate; adeò verborum est eligens, tersus, atque perspicuus; in sententijs, orationibusque mirè disertus. Tantis præteréa veneribus orationem perfundit, ut non mediocriter Lectores, amatoresque suos oblectet.

2. Vellejus Paterculus, cujus dictio verè elegans, atque Romana.

3. Valerius Maximus, qui vix sapit bonum ævum; sermonem enim, ac sententias interdum affectasse dicitur. Est tamen in eo, ex tot historiis, quasi ex tot floribus, grata varietas, brevitas narrationũ, acuminibus sententiarum affabre conspersa.

4. Petronius Arbiter, in quo nuda nequitia, nec omninò laudabilis dictio reperitur; argutus tamen, & amœnus.

5. Pomponius Mela, quem elegantissimum dicit Voss. de Script. Lat. l. 3. p. 2. Claudius tamen Verderius aliter sensit à Vossio, sed minus æquè.

6. Asconius Pedianus, in quo nonnulla posteriorum Grammaticorum glossemmata palam barbara alicubi irrepserunt.

7. Phædrus, & Hyginus Fabularum Scriptores, elegantiæ minus studuere; & plebejam loquendi consuetudinem plusculum usurpärunt.

8. Senecam Philosophum Agellius, & Quintilianus nonnihil suggillant: sed quàm immeritò, omnes viderint. In illo enim multæ, divinæque prorsus sententiæ,

tiæ, multaque morum causa in eo legenda. Præterea in eius dictione verba selecta agnosco, quæ semper plus aliquid dicant, quàm dicnnt. Brevis tamen est, strictoque dicendi genere utitur.

9. Senecæ Tragici Thebais commendatur, quæ maximè pulchra est. Scriptio alta, docta, grandis: phrasis & verba lecta: sententiarum mira acumina. Quidam & Medeam intrudunt. In cæteris quid non protritum, vulgare, imò & vile? Rectè sane Erasmus, Marmita, Gellius, aliique, qui eas diversorum esse, & scholam redolere censuerunt.

10. Lucano multa opponunt, dictionis inconstantiam, frigiditatem, & id genus alia. Ulteriùs idem bis, aut ter dicere ità illi familiare fuit, ut sibi proprium fecerit.

11. Persii stylus morosus, & ille ineptus, qui cum legi vellet quæ scripsisset, intelligi noluit quæ legerentur. Ostentatorem febriculosæ eruditionis eum vocat Scaliger. Poët. l. 3. c. 98.

His omnibus addi poterunt, Quintilianus, Uterque Plinius, Suetonius, Tacitus, Florus, Justinus, Solinus. Juvenalis, Statius, Valerius Flaccus, Silius Italicus, & Martialis, qui adhuc magis magisque in præceps literis abeuntibus, aureoque dicendi genere, sub Vespesiano, Tito, Domitiano, Nervâ, Trajano, & Adriano vixere. Hos omnes inter ętatis ęneę Scriptores, cũ quibusdã adscriberem.

12. M. Fabius Quintilianus auream in suis scriptis mediocritatem secutus est; ut

qui

qui neque verborum novitate, atque insolentiâ orationis juveniliter exultat, neque ad plebejum flectitur sermonem. In gravitate ornatus, in ornatu gravis dignoscitur; ut inquit Causinus; plurimumque in judiciis ferendis syncerus.

13. Plinius major etsi totus in res feratur; dicendi tamen granditatem, acumenque servavit; quapropter ad verborum proprietatem, atque energiam erit valde perutilis. Quædam tamen in illo sublimiùs, alia humiliùs dicta invenies.

14. Junior Plinius ad miraculum politus est, suavis & ornatus. Summam adeptus est laudem in Trajani Panegyrico, quem, ultra quàm dici valeat elaboravit. Brevitatem multi in eo desiderant, cùm interdum in prolixas orationes, suo nimium indulgens ingenio, excurrat.

15. *Svetonium*, inquit Lipf. Elect. l. 2. c. 17. *non injuria commendo sæpe juventuti. Verba vides? tersa, pura, propria; filum orationis breve, nervosum.* Habet nihilominus & suam fœcem, ut vidimus superius, ubi de Turpibus Cap. I. num. VII.

16. In Tacito certat sermonis gravitas cum elegantiâ. Mirum quod Alciato exciderit, ejus historiam senticeta vocare! Floridior tamen est, uberiorque in Historiarum libris; pressior sicciorque in Annalibus. De illo accipe hæc Lipsii in Not. Polit. *Mirabilis omninò Scriptor, cujus historia est velut hortus, & Seminarium præceptorum &c.*

17. Flori stylus in Epitome Livii nimis concisus; in Epitome autem Rerum

Romanarum declamatoris non Historici proprius. Disertum tamen scias, atque elegantem, & si paucula exceperis, quæ frigidiùs dicta videntur, verè floridus est.

18. Justinus Trogi Pompeii præceptoris sui abbreviator quantum styli genus patitur disertus, ut Thomæ Dempstero Scoto videtur. Tersus, & elegans, ut ait Raimundus Lullus à Gerardo Vossio relatus. Multa in eo continentur falsa: multa quæ vobis legantur prorsus indigna.

19. Solini Polyhistoriarum Septuaginta, quæ extant, capita non prorsus contemnenda viri docti sensere; gratâ enim varietate delectant.

20. Juvenalis friget plerumque, & jacet, ac sale plurimùm destituitur; quod in Satyricis reprehendendum: unde miror, quod Scaliger illum cum Horatio commiserit. Sed varius hominum palatus.

21. Statius durior, & inconcinnior alicubi nonnullis videtur: præterea non semper sibi similis fluit. Eruditus in Silvis, sublimis in Thebaide, blandus in Achilleide.

22. Silium Italicum scripsisse carmina majori curâ quàm ingenio, Plinius, qui per illa tempora erat in vivis, testatus est l. 3. epist. 7. Plurimum tamen docti viri illi tribuunt, sicuti ex Valerio Flacco.

23. *In Martiali*, verbis utar, judicioque Scaligeri Poët. l. 6. *Multa sunt ejus Epigrammata Divina, in quibus & sermonis castitas, & argumenti species luculenta est. Alia fœda, ne legerim quidem; tantum abest ut ad censuram vocem.* Se-

Senescente jam magis, atque ad corruptionem proximiori Latino sermone plerique ex Sanctis Patribus, & Ecclesiæ doctoribus floruere; in quibus sensus potius, quàm stylus, aut verba, legem habent imitationis. Sunt etiam & Ferrei hujus temporis Agellius, Apulejus, Vegetius, Censorinus, Aurelius Victor, Macrobius, Ammianus Marcellinus, Martianus Capella, Julius Firmicius, Frontinus, Severinus Boëthius; Historiæ Augustæ Scriptores, Lampridius, Trebellius Pollio, Julius Capitolinus, Vulcatius, Vopiscus &c. quos omnes semel, atque iterum propter eruditionis varietatem omnino legendi sunt; sed imitatio eorum stoliditatis opinionem conficeret. Fuere & hujus ætatis, sed melioris nominis, ac pretii Poëtæ Prudentius, Ausonius, & Claudianus. Prudentius tolerabilis est, sed aliàs ætatis consuetudini adhæret; prisca verba affectat; & Lucretii imitationi nimium indulget. Ausonius, & Claudianus melioris sæculi digni fuissent. Primum tamen immodestum interdum, ac passim Græcissantem reperias. In altero contra cultum magnificum, numeros non affectatos, acutè dicta multa, sermonisque gravitatem, atque nitorem.

A Gordiani Imperatoris temporibus initio nempè seculi quarti post Christum natum penitus extinctæ sunt Latinæ puritatis reliquiæ; & Barbaries undequaque non modò Italiam, sed & Romam ipsam invasit, atque cæteras exinde Romani Imperii Provincias; in quibus utcumque

puritas Latini sermonis hactenus servata fuerat, florente adhuc Republicâ, atque Imperio. Tunc enim Barbaris has pervadentibus, inquit Carolus Du-Fresne in Gloss. Latino-Barb. Præfat. non modo Incolæ, verùm etiam lingua ipsa, quasi sub jugum missa, servitutem passa est, itaut vix tantillum sese in aliquot Scriptoribus non prorsus incultis extulerit, conservâritque incolumem, cùm in vulgò fœditate Barbaricâ vitiata passim jaceret.

Causas hujusmodi corruptelæ latiùs complexus est Tacitus, in nobili Dialogo de Oratoribus; ex quibus præcipuas facit, desidiam Juventutis, Parentum negligentiam, inscientiam Præceptorum. Quæ per ea secula verè ferrea populos invaserit ignorantia sic Festus notat: *Quæ locutio adeò est versa, ut vix ulla ejus pars maneat in notitia.* Gothorum siquidem, Hunnorum, Vandalorum ex variâ fęce miscella quædam, & nova lingua sensim generabatur, quæ etsi aliquid latinitatis redoleret, Latina tamen non erat: ut notat Lipsius in Dialogo de rectâ pronunc. L. L. cap. 3. Ea propter jam non Latina lingua cæpit appellari, sed Romana: quod Romani, qui in Galliis, & Hispaniis post Septentrionalium nationum irruptiones remanserant, eâ uterentur: ut cum Du-Fresne loquar, loco laudato. Argumentum Lipsio ex narratione, quæ in historiâ miscellâ de rebus gestis sub Mauritio, anno Domini DLXXIX. ad Imperium assumpto; in quâ habetur: *In exercitu cùm animans cecidisset, clamante quodam* torna,

torna,

torna, frater, *universas Copias in fugam conversas, ambiguo illo vocis*. Alterum firmius ab instrumento, quod Lutetiæ in bibliothecâ Regis asservatur. Transactio eo continetur Stephani tutoris cùm Gratiano pupillo anno Justinianæi Imperii trigesimo octavo, idest DLXVI. scripta hac vulgari linguâ: cujus particulam saltem aliquam queror quod ad majorem evidentiam non adduxerit. Hæc autem ipsa linguę corruptio eandem formam diù non retinuit; imò in tres linguas divisa est, Italam nempe, Gallicam, & Hispanam; in quibus Latii vestigia clara inspiciuntur. Ita sentio cùm Lipsio contra Thesaurum, qui in Idæâ argutæ, & ingeniosæ elocutionis cap. 6. Gallicis vocibus Italam linguam plurimùm ait compositam. Næc tamen per ulla unquam attacta tempora hujusmodi propagata depravatio effecit, ut L. L. deleretur usus omnino: quanquam enim vulgus ampliùs eam non loqueretur; tamen intelligebat: quod quidem clarè ex sacris patet Concionibus, quas tali idiomate scripserunt, & habuerunt ad populum nedum Itali, sed universim & Galli, & Hispani, & Africani, aliarumque regionum celeberrimi Præsules: quas certè publicè plebi non recitassent, nisi ab omnibus potuissent intelligi: quemadmodum observant Lipsius, atque Du-Fresne laudatis locis: ac eis nuper adhærens Justus Fontaninus in suis eruditis Vindiciis antiquorum Diplomatum adversus Bartholomæum Germonium. Hoc ergo idem ibi tunc erat, quod

& nunc est in Italiâ ipsâ: Romanam enim, ac Etruscam Linguam percipiunt quidem, & cùm delectatione percipiunt nonnullæ Italiæ Nationes; quæ tamen ab eâ tum pronunciatione, tum multis vocibus longè absunt, ita ut vix à nobis intelligantur.

Quando verò penitus in populis fuerit interempta, quamvis tutum non sit judicare; ego tamen non dubitarem asserere, totale ipsius excidium Caroli Magni temporibus deploratum: ipse enim sub anno DCCXCI. Parisiis Scholas Latinæ Grammaticæ, cæterarumque liberalium artium aperuit; & aperiendas alibi per sua Regna mandavit: *& sic tribus, aut quatuor seculis extinctum literariæ sapientiæ lumen in Mundo rursus accensus est*, ait Laurent. Beyerlinckh in Magn. Theatr. lit. A. pag. 40.

De Verborum delectu. Cap. IV.

I. UT verba in oratione usurpanda Latina esse, atque ab optimi sæculi Scriptoribus petita, superiùs necessarium adstruximus; ita de illis delectum habendum in præsentiâ affirmamus. Cùm enim in verborum delectu elegantiæ origo posita sit, ut Cæsar de rat. lat. loq. protulit; hinc est, quod qui castè, copiosèque loqui amat, verba omnia veluti quadam æquitatis trutinâ perpendere debeat; & ex iis *Graviora*, *Sublimiora*, *Consonantiora*, *Leniora* seligere. Hoc autem contingere

certè

certè nulli poterit, nisi ei, qui Divinæ illius Ciceronis ætatis attentissimè perlegerit Auctores. Sublimitas enim & magnificentia, gravitas & nitor, atque auctoritas ex illis, tamquam è fontibus, dimanat, cùm soli locutionem emendatam, & Latinam originem, quasi solum & fundamentum quoddam eloquentiæ posuerint! *Insequentium autem auctorum lectio*, quemadmodum docet Hadrianus, *doctrinam quidem diversarum rerum conferre poterit; elegantiam autem, & nitorem verborum non poterit: quin potius mixtura verborum, quibus illi usi postea fuerunt, omnem prope florem incorrupti illius sermonis, quem quis ex optimorum lectione collegerit, brevi quasi de manibus excutiet, barbaramque omnino reddet.*

II. *Graviora* igitur verba legenda; ea scilicet, quæ majorem vim bonitatis, aut malitiæ ostendunt, quæque magis aut prodesse, aut nocere videntur. Sic *Clementia* gravius est, quàm *lenitas*; *magnificentia*, quàm *liberalitas*; *charitas*, & *pietas*, quàm *amor*, & *benevolentia*. Gravius est *raptorem* dicere, quàm *furem*; *carnificem*, quàm *Sicarium*; *parricidam*, quàm *homicidam*; *profligatorem*, quàm *malum*. Sic *curare* gravius est quàm *mederi*; *restituere* quàm *reducere*; *opes*, & *robur*, quàm *divitiæ*, & *valetudo*; *ferire*, *exterminare*, *trucidare*, *cruciare*, quàm *percutere*, *eijcere*, *occidere*, *torquere*. Oratoribus lex est, ut cùm in simplici voce non est ea, quam adamarent, gravitas, ad Epitheta, & Tropos confugiant.

III. *Sublimiora* sunt, quæ magnificen-

tiùs ſignificant; per quod diſtinguuntur gravioribus, quæ tantùm vehementiùs ſignificant. Præterea ſublimia non turpitudinem, ut interdum gravia, ſed ſplendorem habent. Hujuſmodi ſunt *Regnator* pro *Rex*; *Dominatrix animi cupiditas*, pro *Domina &c.*

IV. *Sonantiora* dicimus, quæ pulchrum aliquem auribus concentum exhibent, vel literarum vocalium, quas locutionis matres vocant Hebræi, conſonantiumque pleniore ſono, vel certè ſpatio, ac tempore ſyllabarum. Ex quinque autem vocalibus elementis; ut in Orthographicis quoque noſtris dictum eſt; A & O vaſtè ſonant: I & V exiliter: E tenuiter. Compoſita plerumque ſolent eſſe vocaliora, ut *conſceleratiſſimus, permovere, extrahere*, quàm *ſceleratiſſimus, movere, trahere*.

V. *Leniorum* Verborum nomine illa veniunt, quæ parum ponderis, & minimum nervorum habent. Talia ſunt, quæ per diminutionem fiunt: ut *homuncio, epiſtolium, blandulus &c.* Suavia quoque hujus loci ſunt, de quibus hæc Cic. Part. Orat. *Utendum erit in oratione ſingulorum verborum inſignibus, quæ habent plurimum ſuavitatis.* Suaviùs cadunt *amœnitas*, quàm *pulchritudo*; *niveus*, quàm *albus &c.*

VI. Quidam his non contenti verborum generibus, quorum Delectus habendus eſt, alia connumerant, niſi ad neceſſitatem, ad perſpicuitatem ſaltem facientia, & potiſſimum *propria*; ea nempè penè nata cum rebus ipſis: quam tamen proprietatem, niſi ex quotidianâ bonorum ſcrip-

ſcriptorum lectione, atque obſervatione nuſquam comparabimus; ubi ſimul res ipſas diſcemus, quas qui ignorat propriè loqui non poterit. Quapropter toto cælo aberrant, qui quaſdam tantumodo loquendi formas quibuſdam in libellulis confarcinatas lectitant, & fonte relictâ rivulos conſectantur. Ji enim, cùm ſe aliquid profeciſſe in proprietate ſermonis credent, adhuc erunt in limine.

VII. Notandum ultimò reſtat quod in hoc verborum delectu, aurium quoque judicio opus ſit; quod non arte aliquâ perpenditur, ſed quodam velut naturali ſenſu, prudentiâque percipitur. Neque enim ſemper verba gravia, ſuavia, & nitida ſunt apponenda; alioqui nimis elaborata concinnitas lumen eloquentiæ extinguet, non accendet; ſed pro ratione argumenti, quod tractamus; itaut humilia humilibus, gravia gravibus conveniant.



A. M. P. I.

PARS SECUNDA DE VERBORUM COLLOCATIONE.



Quid sit Verborum Collocatio. *Cap. I.*

I. UAMVIS in arte bene dicendi nulla præceptio tradi queat, à quâ sæpe sæpius recedendum, declinandumque non sit; cùm, Tullio teste, bene dicere nullam regionem habeat, cujus septis valeat contineri; sistatque potius in aurium accurato judicio, quam in angustis præceptorum coarctationibus: nihilominus quia imbecillioris ætatis aures, comminus prudentiores sunt, quamut comptos, ac politos Romanæ dictionis modos à vulgari dicendi barbarie secernant, valeantque de conjunctorum verborum euphoniâ ut par est judicare: hinc est, quod illos nonnullis legibus imbuendos, omnes existiment. Porrò hæ non eò traduntur, ut semper observentur arctissimâ religione; sed ut Adolescentes iis suffulti, elegan-

gantiam prout res tulerit & sectentur, & politiores verborum ament numeros; Latinique sermonis nitorem à barbarâ, rusticàque turpitudine segregent. Quis enim aut laudet, aut exigat nimiam quamdam, affectatam, superstitiosamque in seligendis verbis solicitudinem? nam cùm esset infinitus, tum puerilis labor; quod in Albutio apud Lucilium exagitavit Scævola:

Quam lepidè lex eis? compostæ ut tesserulæ omnes
Arte pavimento, atque emblemmate vermiculato.

Quod idem aliquando Persius ironicè quemdam ex Poëtis laudaturus notavit:

Sic claudere versum
Non secùs atque oculo rubrica dirigat uno.

Nolumus igitur minutam hanc constructionem apparere; sed stylum ita exerceri, ut paulatim ad virtutem, receptamque compositionem absque vitio perveniamus; cumque nobis dicendum sit, isto potiùs, quod præscribitur, quàm alio modo dicamus.

II. Igitur, ut præcepta de Verborum collocatione, perpetua, quod mox dicebamus, habenda non sunt; ita non audiendi illi, qui ea omnino despicienda censuere: ut enim inquit Ludovicus Carbon, bona elocutionis pars in Verborum aptâ collocatione, atque concinnitate consistit. Hinc est, quod licèt multi latinè scribant, cùm nullâ voce utantur barbarâ, novatâ, peregrinâ: neque contra Grammaticorum canones peccent; quia collocandi artem ignorant, aut negli-

gunt; eorum ſcripta cum plauſu non excipiuntur; neque inter eruditos accenſentur. Ut itaque parum prodeſt ædium ædificatori habere lapides politos, ac lectos; ligna dolata, & alia cæmenta ad architectandum apposita; ſi conſtruendi artem non callet: ita qui bonorum verborum delectum habet & copiam, ſed quo loco apprime ponenda ſint, prorſus ignorat. Et ut ex jiſdem teſſellis ignarus artifex turpe conficeret monſtrum; qui verò artem teneret pulcherrimum quiddam: eodem ferè pacto, qui hoc conſtruendæ orationis artificium ignorat, ex jiſdem verbis monſtruoſam conflaret orationem, ex quibus, qui illud probè tenet, concinnam atque elegantem. Habet ergo rectè componendi doctrina ad exornandam orationem vim præcipuam; quam ob cauſam antiqui dicendi magiſtri, quos docebant, eos ſpeciatim in verborum collocatione exercebant. Eſt præterea perſpicuitati admodum conſona, nam ut ait Jo: Pontanus dial. in Az. *Evitabuntur obſcuritatis vitia, ſi verba fuerint bene collocata, eaque non rancida, non obſoleta, minimeque ancipitia: curſus non contortus, non verticoſus, non lubricus; non conciſa, aut quaſi in volvolum complicata textura &c.* Memorabile fertur Caligulæ de Senecæ dictione judicium, quam arenam ſine calce ſibi videri affirmabat. Tullius quoque nihil utilius ad ſermonis venuſtatem agnovit verborum rectā collocatione, eamque in hæc verba 3. Orat. commendavit: *Sed tamen hæc collocatio conſervanda*

ver-

verborum, quæ junctam orationem efficit, quæ cohærentem, quæ levem, quæ æquabiliter fluentem &c. Quid autem nomine collocationis Verborum veniat, aut ubi posita sit, videamus.

III. *Verborum Collocatio*, ut Georgius Trapezuntius ait, *est dictionum numerosa compositio*: verborum nempe aptè numeroséque fluentium colligatio. *Collocationis* siquidem, queadmodum Cic. 3. de Orat. adnotavit, *est componere, & struere verba sic, ut neve asper eorum concursus, neve hiulcus, sed quodammodo coagmentatus, & lævis.* Licèt autem ex definitione videatur ad rectam collocationem prçrequiri numerum, certum scilicet syllabarum tempus, quod Artis Princeps Isocrates instituisse perhibetur, ut inconditam antiquorum dicendi consuetudinem, delectationis, atque aurium causâ (quemadmodum discipulus ejus Neucrates literis testatum reliquit) temperaret; nihilominus nemo hisce legibus, ut mox innuimus, nedum Orator parêre debet, qui sententiam verbis ita illigare conabitur, ut non tam arte deducta, quàm sponte nata esse videatur; sive, ut Tullius loquitur, *ut verba neque alligata sint, quasi certa aliqua lege versus, neque ita soluta ut vagentur.* Sanè per hoc Latini idiomatis peritus, ab imperito ignaroque discernitur; quod ille rudis, inconditè fundit id, quod dicit, scribitve, spiritu, non arte: secùs alter, jis sententiam complectitur verbis, ut numeris simul & adstricta credi possit, & soluta. Neque verò difficile cuiquam videbitur, aut supra vi-

res

res positum arbitrabitur, ita in hoc munus insistere, ut ad optatum finem perveniat. Nam prius assuescere debebunt Adolescentes modò unum, modò alterum, ex prescriptis canonibus ad praxim redigere, sive in elucubrationibus seorsim, domi factis, sive in Scholâ in vertendis dictatis: quo fiet, ut aures sensim germanos, propriosque Latini sermonis ament, insectenturque modos; siquid additum, quod non cohæreat, noscant, ac per se ipsi immutent, ac in melius redigant. Menti enim si res memoratu dignas paulatim infuderis, vasis ad instar, recipiet; sin omnes simul, respuet.

IV. Sed ne pluribus progrediamur, Canones nostri, quos hinc inde à probatis Auctoribus, Rhetoribusque, potissimum à Francisco Silvio collectos proponemus inferius; variis Scriptorum antiquorum Prosâ, & Carmine subinde firmantur sententiis, in quibus Præcepti cujusque, praxis elucescit. Antiquitatis enim commemoratio, quod Tullius ajebat, exemplorumque probatio, cum delectatione, & auctoritatem orationi affert, & fidem. Loca, è quibus auctoritates petite sunt, multoties neglеximus, auctoris tantùm nomine contenti; tum quia tunc temporis non succurrebant menti, longumque fuisset perquirere; tum maximè quod idipsum ab aliis precipui nominis Scriptoribus factum videbamus. Poëtarum etiam exempla non ubique protulimus: cùm enim, ji Oratores per omnia nec assequi possint, nec debeant, necessitate metri cogente; hinc

hinc est, quod auctoritates ad rem nostram consonas ab jis semper excerpere non potuerimns. Plura subinde congessimus exempla, non ut singula memoriæ mandentur; sed ut clariùs propositum firmemus Pręceptum; atque ut adolescens Canonum vim bene percipiat, quam ob rem nonnulla saltem sunt addiscenda ad excolendum ingenium, eaque præsertim, quæ à gravi dicto erunt deducta. Quia verò multa desiderari videbam libello meo Florentiæ primùm, inde Romæ, superioribus annis publici juris facto, tum Ordinis, tum majoris Præceptorum quantitatis; idcirco mea referre censui, & meliori formâ ad faciliorem captum, & uberiori Canonum copiâ ad utilitatem, donare. Id futurum sum arbitratus, si quas promiscuè sparseram regulas, ad sua quasque capita revocarem; ac per octo Orationis partes digesta, rursum proponerem. Sed quia, grandiorem etiam, quàm proposueram Præceptorum accessionem fieri contigit; factum est ut ea veri bus claudere, quod summoperè volebam, ampliùs non potuerim; licet antea, eorum paucitate illectus, atque compulsus, clausissem. Sane idipsum nunc aggredi, Isthmum fuisset perfodere.

De Nominum collocatione.
Cap. II.

I. Nomina substantiva adjectivis opportunè sunt exornanda; quæ adjectiva *Epitheta* nuncupantur. Hoc autem in

in genere, ut omnibus notum, tantopere excelluit Cicero, ut ſint, qui autument, ejus eloquentiam ideo tam admirabilem, eſſe, quòd ubique ſubſtantiva noverit appoſitè ſuis epithetis copulare. Quapropter & Præceptorum erit idipſum enixè adoleſcentes docere; & adoleſcentium, quo majori fieri poterit ſtudio ad praxim redigere. Exempla hæc ſunto ex ipſomet Tullio lib. 11. epiſt. 28. *Eò minus credebam plurimis, atque optimis artibus ornato tibi &c.* Id. pro L. Manil. *Dicendum de Pompeii ſingulari, eximiaque virtute.* Et pro Marc. *Tantam manſuetudinem, tam inſuetam, inauditamque clementiam.* Ex Poëtis quoque Virg. Æneid. 6.

At pius Æneas arces, quibus altus Apollo
Præſidet, horrendæque procul ſecreta Sibyllæ
Antrum immane petit.

Martial. lib. 5. epigr. ultim. ad Gallam

Jam triſtis nucibus puer relictis
Clamoſo revocatur à Magiſtro:
Et blando malè perditus fritillo.
Arcana modò raptus à popina
Ædilem rogat udus alcator.

Statius Theb. 1.

juvat ire, & viſere juxta
Liventes in morte oculos, uterique nefandam
Proluviem, & craſſo ſquallentia pectora tabo.

Quam verò orationi pariant venuſtatem Epitheta, non habet hic pluribus exponere: Ea enim, ut monuit Ariſtoteles Rhetoricorum tertio, quotidianum immutant ſermonem, & elocutionem peregrinam, faciunt; ſed videndum ne ſint nimis poëtica, ne crebra, ne nimis dura, aut longo extre-

extremorum finium petita principio, ne sint inepta: & in prosâ oratione tunc adhibenda, cùm emphasim quandam habent, & energiam; ad rem propositam spectant, seu, ut verbo utar Hieronymi Regii lib. 5. c. 6. Thes. Rhet. cùm epithetum est consignificatiuum; quod ipsum prærequisierat Quintil. lib. 8. c. 6. his verbis: *Ornat Orationem Epitheton. Eo Poëtæ, & frequentiùs, & liberiùs utuntur. Namque illis satìs est convenire verbo cui opponitur; & ita dentes albi, & humida vina in his non reprehenduntur. Apud oratorem, nisi aliquid efficitur, redundat. Tum autem efficitur, si sine illo quod dicitur, minus est: qualia sunt: O scelus abominandum! ò deformem libidinem! Exornatur autem res tota maximè translationibus. Cupiditas effrænata, & insanę substructiones, Et solet fieri aliis adjunctis Epitheton Tropis; ut apud Virgilium: Turpis egestas, & tristis senectus. Verùm tamen talis est ratio hujusce virtutis, ut sine appositis nuda sit, & velut incompta oratio. Ne ornetur tamen multis: nam fit longa, & impedita &c.* Fabio subscribunt ferè in eadem verba Trapezuntius Rhet. 5. c. 5. Hermogenes Idearum l. 2. c. 4. Augustinus Suessanus lib. 1. Scaliger poët. lib. 5. c. 3. Antonius Lullus Rhet. 4. c. 10. aliique. A quibus autem fontibus deduci possint: ista quæ dicuntur *Apposita*, seu *adjectiva*, plurimùm omnes, qui de Poëticâ scripserunt arte, fusiùs demonstrarunt; quare in hoc non immorandum. Noverint tantùm adolescentes, Epitheta verbis adjecta fuisse triplici de causâ; ornandi scilicet, destruendi,

aut

aut indicandi. Ornat epitheton, ut: *Divus Ulisses, cultissima civitas &c.* destruit, ut: *conscelerati ssimi homines, insensati belli imperatores &c.* indicat: ut: *Romanus Sulpicius, Pellæus Alexander, Larissæus Achilles &c.*

II. Venustatem similiter addit Periodo substantivum syllabis multis compactum; si in orationis principio collocetur. Cic. 3. Tuscul. 28. *Præmeditatio futurorum malorum, lenit eorum adventum, quæ venientia longè antè videris.* Id. de Orat. *Commemoratio autem antiquitatis, exemplorumque probatio cum delectatione, & auctoritatem affert orationi, & fidem.* Valer. 11. cap. 11. *Taciturnitas optimum, atque tutissimum rerum administrandarum vinculum.* Lucanus lib. 1.

Nobilitas cum plebe perit; lateque vagatur
Ensis, & à nullo prævocatum est pectore ferrum.

Ovid. *Munera, crede mihi, placant homines que, Deosque.*

Franciscus Sylvius in suis, quæ in artem Oratoriam inscripsit, Proginasmatibus Centuriâ primâ cap. 23. Canonem hunc summæ utilitatis, & ornatûs adstruit in hæc verba: *Venustas orationis multa inde quæretur; si nomen substantivum syllabis multis constans in orationis principio collocetur; idque præcipuè si id orationi suppositum sit, ut: Amicitia est quædam quasi cœlestis felicitas, Dei immortalis munere bonis hominibus concessa &c.*

III. Nomen substantivum pluralis numeri ponitur loco nominis singularis.

Exem-

Exempla, passim apud Oratores, & Poëtas obvia Cic. pro Balb. *Si auctoritates patronorum in judiciis valerent, ab amplissimis viris L. Cornelii causa defensa est; si usus, à peritissimis; si ingenia, ab eloquentissimis; si studia ab amicissimis.* Id. pro Manil. *Aguntur certissima populi Romani vectigalia, & maxima; quibus amissis, & pacis ornamenta, & subsidia belli frustra requiretis.* Id. in Catilin. 3. *Tabellas proferri jussimus, quæ à quoque dicebantur datę. Primùm ostendimus Cethego: signum cognovit: nos linum incidimus: legimus &c.*

Ovidius de Ponto l. 1. eleg. 4.

Jamque meos vultus ruga senilis arat.

Martial. epig. 56. lib. 6.

Quamvis lassa tuos quærebant lumina vultus.

Hæc autem usurpatio pluralis numeri pro singulari; aut contrà singularis pro plurali fit per Synecdochen Tropum, de quâ infrà. Animadvertendum tamen, hoc esse discriminis inter historicos, Oratores, ac Poëtas, quod isti variè, prout necessitas tulerit, Tropum usurpant, ac multoties pluralem numerum pro singulari, multoties, atque frequentiùs fortasse singularem pro plurali; ut eruditè, pluribusque monstrat exemplis P. Carolus à S. Antonio Patavino ex nostris pag. 232. libri, cui titulum fecit *Antiquorum Scriptorum Latinitas selecta &c.* Erasmus lib. 1. de Verborum copiâ cap. 13. Oratores contrà, qui numerosæ elocutioni inserviunt, plurali potiùs voces donare consuescunt. Præterea sciendum, in recto potiùs frequentandum Canona hunc, quàm in obliquis casibus.

IV. Nomen substantivum, à quo regitur genitivus, interdum eleganter supprimitur. Cic. 5. de fin. *Venit mihi Platonis in mentem*, .i. *recordatio*. Id. lib. 7. famil. ep. 3. *Persæpe mihi cogitanti de communibus miseriis &c. solet in mentem venire illius temporis, quo proximè fuimus una*. Id. pro Sex. Rosc. *Venit enim mihi in mentem oris tui*. Terent. Adelph. 4. 4.

Ubi ad Dianæ veneris, ito ad dexteram.

Horat. lib. 1. Sat. 9.

Ventum erat ad Vestæ quarta jam parte diei.

Quibus in locis intelligitur substantivum *templum*, aut simile, quæ phrasis Ciceroni etiam placuit; ut videre est lib. 6. ep. 2. ad Atticum pro Mil. Philip. 2. lib. 8. ep. 4. Cælii &c. His affines sunt illæ lib. 9. ep. 10. ejusdem Tullii. *Cùm Sophia Septimię*, puta *filia*, Maronis 6. Æn. *Deiphobe Glauci*, & 3. *Hectoris Andromache*. i. quondam uxor. Tacit. 4. ann. *Per Apicatam Sejani proditus*, supple *uxorem*. Similiter quando verbum *est* donatur genitivo, & verbo infinito; quia tunc intelligitur nomen substantivum, *officium*, *res*, *manus* &c. ut 2. de Orat. *Clamare contra quàm deceat, hominis est imprudentis*. Sed de his fusiùs in Grammaticis, ubi de Ellipsi figurâ; quæ quidem orationi non parum venustatis adjiciet, si eam veterum exemplo adhibuerimus.

V. Nomina dignitatis, vel officii; laudis, vel vituperationis, proprio personæ nomini, non sine venustate præponuntur. Flor. l. 1. cap. 1. *Primus ille Urbis, & Imperii conditor Romulus*. Cic. lib. 12. ep. 22. *Nos hic cum gladiatore homine omnium nequissi-*

quissimo collega nostro Antonio bellum gerimus. Id.3.de Leg. *Vir magnus ingenio, summaque prudentia Lucius Cotta*. Propert. l. 3. el.3.
Arma Deus Cesar dites meditatur ad Indos.
Virg. Æneid. lib.3.
Aut quem tum vates Cassandra moveret?
Sic Cognomina propriis præponenda nominibus, aut inter ipsa aliqua vox admittenda. Cic.1.de Orat. *Phalereus Demetrius, meo judicio, præstitit cæteris*. Agellius: *Stabant fortè unà in vestibulo palatii fabulantes, Fronto Cornelius, & Festus Posthumus, & Apollinaris Sulpitius*. Cic.2. off. *Lucius quidem Crassus, cùm esset admodum adolescens*. Id.ib. *Tiberius autem Graccbus Publii filius &c.* Advertant Pueri, ne hoc Canone, nimiũ fisi, sanos scriptorum locos corrumpant; quod ipsum admonent Aldus ad Cic. ep.8.l.2. Vossius de Analogiâ lib.1.c.7. neque enim semper cognomina ea putanda sunt quæ præierint; sæpissimè namque gentilitio nomini postponuntur; aut si præponantur, interdum prænomina, non cognomina sunt. Quâpropter vel in eo laborem impendere debebunt; ut prænomina à nominibus, cognominibusque secernant; eritque optimum hac de causâ adire quæ in Orthographicis nostris habentur, ubi facili methodo ea exponuntur. quod etiam facit Carolus Sigonius lib. de Nominibus Romanorum.
VI. In fine periodi maximè nominativus elucet; præsertim quando sit polysyllabus. Cic. 2. de Off. *Justis autem, & fidis hominibus, idest bonis ita fides habetur, ut nulla*

nulla sit in his fraudis, injuriæque suspicio. Id. Catil. 1. *Quem ad finem se se effrænata jactabit audacia?* Id. pro Muræn. *In multitudine est varietas, & crebra tamquam tempestatum, sic sententiarum commutatio.* Lucret. lib. 5.

Subversa jacebit
Pristina majestas soliorum, & sceptra superba.

Ovid. Met. 10.

Tendit onus matrem, nec habent sua verba dolores.

Verùm non rectus modò casus, sed obliqui quoque concinnè periodum claudunt. Cic. 1. Offic. *Cum juvenes relaxare animos, & dare se jucunditati volent; caveant intemperantiam, meminerint verecundiæ.* Id. 4. Tusc. *Error stultis extenuatur die, ut cùm eædem res maneant, aliter ferant inveterata, aliter recentia malorum incitamenta.* Claudian. de Bello Getic.

Si verax narratur fabula, vidit
Minoum rupto puerum prodire sepulchro.

Ovid. Met. 10.

Nec nutrix etiamnum concipit ullum
Mente nefas: aliquemque tamen præsentit amorem.

VII. Ab aliquis nonnunquam incipienda periodus. Cic. Philip. 11. *Imperium Cæsari belli necessitas, fasces Senatus dedit: otioso verò, nihil agenti, obsecro te, L. Cæsar (cum perditissimo homine mihi res est) quando imperium Senatus dedit?* Id. 3. de fin. *Voluptatem dimittamus, & suis se finibus tenere jubeamus; ne blanditiis ejus, illecebrisque capiatur animi voluptas.* Virgil. initio Æneid.

Arma, virumque cano, Trojæ qui primus ab oris &c.

Claud. de 4. Conſ. Honorij.

Auſpiciis iterum ſe ſe regalibus annus
Induit, & nota fruitur jactantior aula &c.

VIII. Genitivus nonnunquam præponendus ſubſtantiuo. Cicer. de Offic. lib. I. *Omnes enim trahimur, & ducimur ad cognitionis, & ſcientiæ cupiditatem.* Id. ib. *Virtutis laus omnis in actione conſiſtit.* Id. Cat. 4. *In me omnium veſtrum ora, atque oculos eſſe converſos.* Livius lib. 25. *Si in occaſionis momento, cujus prætervolat opportunitas, cunctatus paullum fueris, nequidquam mox omiſſam quærare.* Lucanus lib. 8.

Sceptrorum vis tota perit, ſi pendere juſta
Incipit &c.

Claudian. 4. Honor.

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

IX. Inter ſubſtantivum, & Adjectivum optimè mediat Genitivus, ut: *mirum adoleſcentis ingenium.* Cic. Catil. I. Aggredere cum importunâ ſceleratorum manu. Tacit. 4. Hiſt. *Maximum diſcrimen penès quos aurum & opes, præcipug bellorum cauſæ.* Id. Hiſt. 11. *Sublatis ſtudiorum pretiis, etiam ſtudia pereunt.* Valer. l. 11. cap. 11. *Taciturnitas optimum, atque tutiſſimum rerum adminiſtrandarum vinculum.* Silius l. 4.

Primæ ſcelerum cauſæ mortalibus ægris
Naturam neſcire Deum.

X. Inter duos Genetivos alii caſus freqeenter aptantur, ut. *bujus amplitudo viri, Romani princeps eloquii* &c. Cic. Catil. I. *Unius uſuram borg gladiatori iſti ad*

vi-

vivendum non dedissem. Id. pro leg. Manil. *Nam, cùm antea per ætatem nondum hujus auctoritatem loci contingere auderem*. Imò etiam interseruntur aliæ quævis orationis partes, ac potissimùm adverbia. Sic videre est in eâpse Oratione pro Lege Maniliâ, ubi non semel habetur: *hujus autem amplitudo viri: istius quidem causæ: belli namque hujus &c.* Martial. lib. 8. ep. 11.

Liber amicorum dulcissima cura tuorum.

Ovid. l. 8. Metam.

Nil agis, ò frustra meritorum oblite morum.

XI. Nomen rei, loco nominis personę quandoque eleganter, & graviter collocatur: quapropter nihil frequentiùs apud Tullium hoc canone; cujus nonnulla in medium profert exempla P. Carolus p. 226, Tale est 1. Offic. *Nihil autem magis cavendum est senectuti, quàm ne languori, disidiæque se dedat*. i. *Senibus*. Et 3. de Orat. *Cùm Isocrates discipulorum nobilitate floreret*. i. *nobilibus discipulis*. Id. 5. Tusc. *Dies deficiet, si velim paupertatis causam defendere*, hoc est, *causam pauperum*. Ovid. de Pont. l. 1. eleg 4.

Aspice in has partes quòd venerit Æsone natus,
Quam laudem à sera posteritate ferat. i. *à posteris*.

Horat. lib. 3. od. 6.

Non his juventus orta parentibus
Infecit æquor sanguine Punico.

Claud. de bell. Getic.

Nos bellorum expers, & luxu mollior ætas
Deficimus queruli &c.

Id.

Id. de laudib. Stilic.

Illius ut Phœbus ad limen constitit antri
Occurrit Natura potens; seniorque superbis
Canitiem inclinat radiis.

XII. Inter duos Accusativos nominativus, aut alia quævis orationis pars aptè adnectitur, ut: *Hunc tu hominem appellas? Custodes profectò vigilantissimos eos dixerim &c.* Cic. pro Domo suâ. *Quem tu tandem populum, nisi tabernis clausis, frequentare non poteras.* Id. pro Leg. Man. *Dico ejus adventu, maximas Mitridatis copias omnibus rebus ornatas, atque instructas, esse deletas.* Id. Catil. 2. *Quem quidem ego hostem.* Ac infrà: *Quos ego utrosque, Quirites &c.* Virg. Æn. lib. 5.

Jamque ferè mediam cœli nox humida metam
Contigerat &c.

Seneca Phœniss. act. 4.

Invisa nemo imperia retinuit diu.

Juvenal. Sat. 10.

Duas tantùm res anxius optat,
Panem, & Circenses.

Vocabulis quoque ex duobus integris, aut ferè integris compactis aliquid ad nitorem inserimus, aut patrium ordinem immutamus, ut: *Lucri hodie nihil omnino feci.* Virg. Æneid. l. 1.

Et multum nebulæ circum Dea fudit amictu.

XIII. Vocativi casus in solutâ oratione post pronomen, aut verbum ferè collocandi. Post pronomen. Cic. 11. Famil. 24. *Cupio jam vigiliam meam, Brute, tibi tradere.* Id. 1. Off. *Licet enim mihi, Marce fili, apud te gloriari, ad quem &c.* Et famil. ep. 29. *Te, mi Cornifici, etiam atque etiam rogo.*

rogo. Atque alibi frequentiſſimè.
Horat. lib. 1. od. 24.

Nulli flebilior, quàm tibi, Virgili.

Ovid. Met. lib. 8.

Factaque nuper avis, longum tibi, Dædale, crimen.

Id. de Ponto lib. 3. eleg. 2.

Quam legis à nobis miſſam tibi, Cotta, ſalutem,
Miſſa ſit ut verè, perveniatque precor.

Lib. 2. el. 11.

Hoc tibi, Ruſe, brevi properatum tempore mittit
Naſo parum fauſtæ conditor artis opus.

Poſt verbum. Id. 1. Off. *Si ego a te poſtulo, mi Cicero, ut mihi concedas nihil, præter id, quod honeſtum ſit &c.* Id. ad Quir. poſt red. *Quod precatus à Jove Opt. Max. cæteriſque Diis immortalibus ſum, Quirites.* Item pro M. Marcello, in Catilinariis, Philippicis, aliiſque libris ſemel, atque iterum occurret. Virg. Eclog. 3.

Incipe, Damæta; tu deinde ſequere, Menalca

Utriuſque habemus exemplum ſimul apud Ovid. de Pont. l. 4. el. 1.

Accipe, Pompei, deductum carmen ab illo,
Debitor eſt vitæ qui tibi, Sexte, tuæ.

Sed & poſt alias orationis partes ritè collocari monſtrat ipſius exemplum lib. 4. el. 4.

Accipe colloquium gelido Naſonis ab Iſtro,
Attice, judicio non dubitandæ meo.

Mart. quoque l. 5. ep. 96.

Eſſe nihil dicis quicquid petis, improbe Cinna:
Si nil, Cinna, petis; nil tibi, Cinna, nego.

Periodi autem initium ſumere à Vocativo ſolius eſt Vatis: hic autem ſanè infrequens non eſt; ut ex ſubjectis patet exemplis

plis. Ovid. Trist. lib. 1. eleg. 1.
Parve (nec invideo) sine me, Liber, ibis in Urbem.
Ibidem eleg. 2.
Dj maris, & cæli (quid enim nisi vota supersunt?
Solvere quassatæ, parcite membra ratis.
Lib. 3. eleg. 14.
Cultor, & antistes doctorum sancte virorum,
Quid facis ingenio semper amice meo?
De Ponto lib. 1. eleg. 2.
Maxime, qui tanti mensuram nominis imples;
Et geminas animi nobilitate genus.
Lib. 2. eleg. 3.
Maxime, qui claris nomen virtutibus æquas:
Nec sinis ingenium nobilitate premi.
Mart. lib. 2. ep. 64.
Quinctiliane, vagæ moderator summæ juventę:
Gloria Romanæ, Quintiliane, togæ.
Id. Martial. lib. 8. ep. 21.
Phosphore redde diem, quid gaudia nostra moraris?
Cæsare venturo, Phosphore, redde diem.

XIV. Ablativus absolutè positus, aut ante verbum, aut initio ponendus. Ex Causino lib. 7. de Elocut. cap. 15. Initio Cic. 4. Tusc. *Re intellecta, in verborum usu faciles esse debemus.* Seneca de Vit. Beat. cap. 20. *Populo spectante fieri credam, quidquid, me conscio, faciam.* Florus lib. 1. cap. 3. *Peracto Punico bello, sequuta est brevis sanè, & quasi ad recipiendum spiritum requies.* Ante Verbum. Cic. de finib. *Stulti autem malorum memoria torquentur; sapientes bona præterita, renovata grata recordatione, delectant.* Id. de Clar. Orat. *Ego posthac cautiùs histo-*

 riam,

riam, te audiente, attingam. Senec. lib. 3. epist. *Acerbum est uri: quantò acerbius, si id, te faciente patiaris?* Placuit tamen Tullio potissimùm, periodum ablativo hoc finire, sic 2. de fin. *Maximas verò virtutes jacere omnes, voluptate dominante.* Et pro Quin. *Soleo sæpe mirari eorum impudentiam, qui agunt in scæna gestum, spectante Roscio.* Ita quoque Q. Cic. ad Tir. lib. 16. ep. 26. *Non potes effugere hujus culpæ pœnam, te patrono.* Verùm hæc, & similia, siqua adduci possunt ex probatis auctoribus exempla, à communiori usu ne te retrahant, aut à pervulgata seducant viâ. Martial. lib. 8. epist. 21.

Cæsare venturo, Phosphore, redde diem.

Interponitur etiam venustè aliqua orationis pars: ut id. Mart. lib. 5. ep. 17.

Imitantur hamos dona: namque quis nescit,
Avidum vorata decipi escarum musca?

XV. Vox quæ nobilioris est significationis anteponenda est voci minùs nobile significanti. Ita P. Michaël à Visitatione ex nostris in suâ Manuduct. Instit. Rhet. parte 1. c. 3. q. 2. edit. Varsaviensis; cujus hæc sunt verba: *Nobiliora vilioribus antepenantur; hoc est ea, quæ rem nobiliorem significant in recensendo debent præponi minùs nobilioris significationis; ut si dicas v. g.* In rerum naturâ sunt brutæ animantes, homines, Angeli, Deus. *Hic verborum ordo non est bonus, quia in enuntiando præponuntur viliora nobilioribus: Itaque corrigendus hic ordo sic:* In rerum naturâ sunt Deus, Angeli, homines, brutæ animantes &c. Similiter, ut monuit Farnabius in Ind. Rhet.

pag.

pag. 34. præcedant necesse est, quæ naturâ, vel dignitate priora, & præstantiora sunt: *Dies nocti, vir fœminæ, oriens occidenti &c.* Cic. Philip. 4. *Sed quoniam P. C. gloriæ munus optimis, & fortissimis civibus monumenti honore persolvitur; consolemur eorum proximos, quibus optima est hæc quidem consolatio: Parentibus, quod tanta Reipublicæ præsidia genuerunt: Liberis, quod habebunt domestica exempla virtutis: Conjugibus, quod jis viris carebunt, quos laudare, quàm lugere præstabit: Fratribus, quod in se, ut corporum, sic virtutum similitudinem esse, confident.* Virg. Æn. 4.

Luna premit, suadentq; cadentia sidera somnos

Ibidem.

Venatum Æneas, unaque miserrima Dido,
In nemus ire parant &c.

XVI. Verba, quæ per congeriem ponuntur, debent significationem augere; ita, ut consequentia præcedentibus sint efficaciora. Ex eodem P. Michaële. Ut si dicas: *Hunc sacrilegum, hunc parricidam, hunc latronem, furem, refractarium, petulantem quis patiatur?* Talis ordo malus est; propterea quod, cùm crescere debeat oratio, per ineptam verborum collocationem decrescat, quando minus semper dicitur; quàm fuit præmissum. Cic. pro Mil. *Neque verò se populo solum, sed etiam Senatui commisit; nec Senatui modo, sed etiam publicis præsidiis, & armis.* Licin. Calvus in Vat. *Non ergo pecuniarum magis quàm repetundarum; neque majestatis magis quàm Planciæ legis; neque Planciæ legis magis, quam ambitus; neque ambitus magis, quam omnium le-*

gum omnia judicia perierunt. Et Cic. ep. 23. l.2. ad Att. *Si stas ingredere; si ingrederis, curre; si curris, advola*. Ovid. 3. fast.

Mars videt hanc, visamque cupit, potiturque cupitam.

Et Virg. Ecl.2.

Torva leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam;
Florentem cytysum sequitur lasciva capella.

Porrò ordinem hunc majoris significationis in verbis consequentibus retulerunt Rhetores ad Schema Gradationem, aut Congeriem; eo quod oratio veluti per gradus progrediatur, aut coacervatis ritè verbis disposita videatur.

XVII. Nomen loco verbi elegantissimè ponitur. Ex P. Carolo p. 226. Exemplis res clarior fiet. Cic. 1. Off. *Nos autem quantum in utroque profecerimus aliorum sit judicium*. Vulgus diceret: *judicent alii*. Id. l. 10. ep. 27. *Hoc animo scito omnes esse sanos, ut mortem servituti anteponant*. i. *ut mori malint, quàm servire*. Id. 3. de Orat. *Hæc cùm Crassus dixisset, parumper & ipse conticuit, & à cæteris silentium fuit*. i. *cæteri siluerunt*.

Hæc eadem loquendi elegantia inest in sequentis generis exemplis. Cic. de Cl. *Opinione ego omnium majorem cœpi dolorem*. Idest *quàm omnes opinabantur*. Et Virg. 1. Æneid.

Sic ait, & dicto citiùs tumida æquora placat:

Idest. *Citiùs, quàm dixit*. Sic Ovid. 3. Fast.

Speque redit citiùs. i. *citiùs quàm sperabant*:

Et hæc de substantivorum Nominum collocatione. Nunc de Adjectivis, eorumque

que gradibus videndum.

XVIII. Adjectivum dissyllabum, substantivo plurium syllabarum postponitur elegantiùs. Ex Causino. l.7. de eloc.c.15. Cic. de Orat. *Quid enim est majus, quàm cum tanta sit inter Oratores bonos dissimilitudo, judicare quæ sit optima species, & quasi figura dicendi?* Et 1. de Divin. *Pythagoreis interdictum putatur, ne faba vescerentur; quæ res habet inflationem magnam.* Ovid. 5. Met.

Ora vident, volucresque novas accedere silvis.

Et mox

Nunc quoque in alitibus facundia prisca remansit.

Secùs tamen fiet, cùm Adjectivum polysyllabum extiterit; tunc enim venustè admodum præcedet substantivum. Cic. pro Mil. *Ea vis, ea est igitur, quæ sæpe incredibiles huic urbi felicitates, atque opes attulit.* Et Philip. 11. *Nam extraordinarium semper imperium, populare, atque ventosum est.* Item Phil. 13. *Est omnino fortium virorum, quales vos esse debetis, virtute præstare tantum, ut possint fortunæ culpam non extimescere.* Verùm aliis magis placet, Adjectivum semper præponi substantivo; sive hoc polysyllabum sit, sive dissyllabum; postponi autem, cùm adjectivum illustriùs fuerit, & præcipui in oratione ponderis; ita ut singularem in animum ingerat aprehensionem.

XIX. Adjectivum ante substantivum suum ornatè ponatur oportet; præsertim si quid interpositum fuerit, vel propositio, vel genitivus casus, vel aliud simile: tunc enim ornatiùs disponetur in oratio-

ne, ut: *magnis de rebus: egregia illius virtute*. Ita censet Nicolaus Feretti in suo de elegantiâ Linguæ Latinæ libello; cujus sunt laudata superiùs verba. Cic. ad Lentul. *Tanta est enim magnitudo tuorum erga me meritorum*. Id. Catil. 2. *Atque hunc quidem unum hujus belli domestici ducem sine controversia vicimus*. Virg. 6. Æn.

Attonitæ magna ora domus, & talia fata.

Ovid. Met. 5.

Applicat hinc humeros ad magnæ saxa columnæ.

XX. Neutrum Adjectivi venustè in substantivum quandoque transfertur, ut: *Multum pecuniæ, multum humanitatis in me contulisti*. Ex Nicolao Feretti. Liv. Dec. 5. l. 15. *Tantum pecuniæ coacervatum fuerat*. Et 1. lib. 9. *Tantum irarum erat*. Tacit. hist. 3. *Tantum fœdarum volucrum supervolitaverat*. Cic. de Senect. *Tantum cibi, ac potionis adhibendum est*. Virg. 1. Æn.

Et multum nebulæ circum Dea fudit amictu.

Huic omnino affinis est Græcanica illa locutio, cùm ponitur Adjectivum ad genus neutrum traductum loco Adverbii. ut apud Horat. l. 2. 19. *Turbidum lætatur*. l. 3. 27. *Perfidum ridens*. lib. 1. Sat. 58. *Resonarent tristè, & acutùm*. Et l. 1. ode 22. *Dulcè ridentem Lelagen amabo, dulcè loquentem*. Et od. 12. l. 2.

me voluit dicere lucidùm
Fulgentes oculos.

Virg. 7. Æn. *Torvumque repentè clamat*. Et alibi *acutùm clamat, acutùm ludit*, pro *acutè: crudelè micat, durùm minari: durùm insonuit Silius: suavè rubens hyacinthus &c.*

Etiam

Etiam prosâ oratione. Tacitus l. 4. hist. *Enim verò Tiberius torvus, aut falsùm renidens vultu.* Et hist. 6. *Nunciavere accolæ, Euphratem, nulla imbrium vi, sponte, & immensùm attolli.* Gellius l. 5. c. 9. *Repente in eum magnum inclamavit.* Similiter locutus Martianus Capella, & Apulejus non uno loco. Et hæc in numero singulo dicta sunt. in plurali quoque usurpatum Adjectivum pro Adverbio ab Auctoribus; & quidem non in neutro tantùm, sed in aliis quoque generibus. Sic Virgil. *Multa gemens, crebra ferit, transversa fremunt, sera comantem Narcissum*, & alia id genus dixit. Nec abludit, ut eruditè notavit Vossius, hoc Cæciniæ ad Cic. l. 6. ep. 7. *Cùm ignoverit omnibus, qui multa Deos venerati sunt.* Et Tac. An. 3. *Reo patronos petenti, iisque diversa excusantibus.* Diversi generis sunt Horat. l. 1. Sat. 3.

Et qui nocturnus Divum sacra legerit. idest noctu:

Et 1. Epist. ad Num.

Navus mane forum, & vespertinus pete tectum.

Et l. 3. od. 6.

Quod adest, memento.

Componere æquus.

Virg. Georg. 3.

Nec gregibus nocturnus obambulat.

Et Æn. 8.

Nec minus interea se matutinus agebat.

Et Mart. l. 6. ep. 58.

Atque erat in gelido plurimus ore pudens.

Stat. 3. Theb.

Signa feras, lævusque tones.

Et hæc fiunt per Enallagen figuram, quâ

pars orationis una pro alterâ ponitur. Advertendum tamen est, quod Adjectivum hoc pro Adverbio usurpatum gravi afficitur accentu communiter: sunt enim qui negligant. Porrò superiùs expositam constructionem Græcanicam esse, atque à Latinis Græcorum more frequentatam, nemo est, qui non noverit: dicitur enim πότερον, πότερα adjectivum nomen pro *utrùm*, καλὰ *pulchrè*, ὀξὺ *celeritèr*, ταχὺς *velociter &c.* Et quoniam in Hellenismos incidimus, cæteros hîc, qui de Nominibus Adjectivis sunt, subjungimus: Maximam enim Tironibus allaturos utilitatem, certò scio.

XXI. Adjectivum neutrum venustè jungitur substantivo masculino, aut fœminino, idque Græcorum more. Cic. de finib. *Bonum liberi, misera orbitas; bonum patria, miserum exilium; bonum valetudo, miserum morbus.* Quintill. *Facultas dicendi si in malos incidit, judicanda est malum.* Gell. *Critolaus Peripateticus & malum esse voluptatem ait.*

Propert. *Nec forma æternum, haud cuiquam est fortuna perennis.*

Ovid. Amor. lib. 1. el. 9. vers. 4.

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Idem.

Turpe jacens mulier multo madefacta Lyæo.

Virg. Ecl. 3.

Triste lupus stabulis; maturis frugibus imbres.
Dulce satis humor &c.

Et 4. Æneid.

Varium, & mutabile semper
Fœmina.

Hoc

Hoc dicendi genus, quidam ad Enallagen, quidam verò, ac melius, ad Ellipsin revocant; intelligitur enim in Græcis vox χρῆμα, in Latinis *negotium*, *res*, aut simile, seu pronomen, *quid*, *quiddam*, vel *aliquid*; ita vt sensus sit v. g. *Triste lupus stabulis*: *Triste quid lupus stabulis*; & illud: *Varium & mutabile semper fœmina*, posset sic integrè efferri. *Varium & mutabile quiddam est fœmina*: Par ratio est de sequentibus Græcis exemplis. Demost. Ἄπιστον ταῖς πολιτέιαις ἡ τυραννὶς. *Infidum Respubl. tyrannis*. Item ejusdem. Πονηρὸν ὁ συκοφάντης. *Improbum est sycophantes*. Et hujus Homerici Iliad. 2.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.

Non bonum est multorum dominatus: Quorum omnium exemplorum defectus per verbum χρῆμα suppleveris, ut dictum est. Sic supplevit Epitectus. Ἀθάνατον χρῆμα ἡ ἀλήθεια ἀΐδιον. *Veritas res est immortalis, & sempiterna*.

XXII. Adjectivum apud Græcos substantivè ponitur, & more substantivorum construitur: Adjectivum tamen illud neutrum afficiunt præpositivo articulo τὸ; tuncque planè valent idem, quod abstracta. Sic Demosth. Τὸ τοῦ Θεοῦ εὐμενὲς ἡμῖν συναγωνίζεται. *Dei benevolentia nos adjuvat*. ubi εὐμενὲς stat pro εὐμένεια. S. Basil. Πρέπει πανταχοῦ τὸ τραχὺ ἀπωθεῖσθαι. pro τὴν τραχύτητα. Latini quoque eos imitati sunt; ac præsertim Poëtæ. Sic Ovid. Met. 1.

Non illo melior quisquam, nec amantior æqui
Vir fuit &c.

Virg. 2. Æneid.

servantissimus æqui.

i. *æquitatis*: *honestum* pro *honestate*, *pium* pro *pietate*. Hellenismus itidem est, quamvis à Latinis Scriptoribus frequentatus, illa dicendi forma, quâ Adjectivum ponitur in neutro pluralis numeri, & substantivum in Genitivo. Curt. l. 6. *Edita montium*. i. *editi montes*. Tacit. 11. Annal. *Neque suspiciones imbecilles, aut inania famæ*. Et apud Livium non semel: *incerta casuum*, *subita rerum*, *diversa montium* &c.

Lucret. lib. 1.

Clausa domorum

Transvolitant.

Et l. 6. *Penetrat per rara viarum.*

Virg. Æn. 6. *Per apoca viarum.*

Horat. l. 2. od. 1. *Et cuncta terrarum subacta.*

Id. l. 4. od. 12. *Amaraque curarum.*

Et l. 1. Sat. ult. *Incerta casuum.*

Græci quoque τὰ ἄδηλα τῆς τύχης incerta fortunæ.

XXIII. Eleganter apponitur Adjectivo casus Genitivus, ut: *abstinens pecuniæ*, *abundans corporis*, *cæcus futurorum*, *candidus eloquii*, *nimius animi*. i. *iracundus*: *nimius imperii*, *sermonis*. i. *severus*, *loquax*: *plenus fori*, *litium*, *animi*, *crapulæ*, *iræ*, *somni*, *timoris* &c. *parcus irarum*, *æris*; *reus voti*, idest, *qui debet solvere votum* &c. Exemplorum quia satis abunde est, eaque jamdum congessit Vossius lib de Construct. c. 10. paucis hic contenti erimus. Sallust. de bel. Cat. *Corpus patiens inediæ*, *algoris*, *vigiliæ*. Tac. 1. An. *Invictus operis ac laboris*. Et l. 3. *Impiger militiæ*. Et 4. *Ferox scelerum.*

lerum. Et 6. *Trepidus admirationis & metus*. Verùm his, & similibus parciùs utantur Oratores; utpote ad Historicorum, & Poëtarum phrasin accedentibus. Tutiora sunt quæ leguntur apud Tullium, Quintilianum, aliosque, Adjectiva Genitivo casu donata. Ad Att. 11. epist. 2. *Tam insuetus contumeliæ*. Quintil. lib. 2. cap. 2. *Judex quamprimum certus esse sententiæ cœpit*. Et lib. 7. c. 3. *Securus tam parvæ observationis*. Plin. l. 25. c. 2. *Medicinæ peculiariter curiosus*. Lucanus l. 6.

Felix, ac libera legum
Roma fores.

Ovid. Met. 5.

Sed tolerare diu cursus ego viribus impar
Non poteram; longi patiens erat ille laboris.

Porrò & hæc Græcanica constructio est; eâque nihil frequentiùs in Græcis Scriptoribus, ibique passim occurrunt exempla, quæ propterea non recito.

XXIV. Adjectivis Græci adjungunt Infinitivum. Hoc imitantur Latini; sed ferè tantùm Poëtæ; & primò apponunt Infinitivum Adjectivo; Adjectivum tamen istud voluntatem, aut facultatem significat; Infinitivumque habet vim nominis, & subintelligitur præpositio *ad*. v. g. *bonus canere* dicitur: quod integrè esset, *bonus ad canere*, sive *ad canendum*. Virgil. Ecl. 5.

Boni convenimus ambo
Tu calamos inflare leves, ego dicere versus.

Ovid. 2. Fast.

Silvaque montanas occulere apta feras.

Horat. cui familiarior is sermo, maximèque

que in odis fuit, ubi mirè Græcissat l. 1. od. 10.

Callidum quidquid placuit jocoso
Condere furto.

Et od. 12.

Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus

Ibid. *Nobilem superare*. Od. 15. *Præsens tollere*. Od. 24. *Lenis fata recludere*. Od. 29. *Doctus sagittas condere*. Od. 35. *Dolosi ferre jugum*. Od. 37. *Impotens sperare*. Et similia quamplurima in cæteris Odarum, Satyrarumque libris. Apud Oratores tantummodò infinitivus reperitur junctus cum Adjectivo *paratus, promptus*, aut simile. Sic Tull. pro P. Quinctio. *Id quoque parati sunt facere*. Et lib. 15. epist. 4. *Subire paratissimus*. Secundò Latini Infinitiuum verbi Passivi, aut Deponentis apponunt Adjectivo. Ut apud Flaccum in Arte.

Cereus in vitium flecti.

Et lib. 1. od. 3. *Audax omnia perpeti.*

Ibid. od. 1. *Indocilis pauperiem pati.*

Et od. 15. *Et celerem sequi Ajacem.*

Lib. 1. epist. 20. *Irasci celerem.*

Senec. Herc. Fur.

Et saxa fluctu volvit Acheron invius.
Renavigari.

De Græcis, exempla hæc sunto. δεινὸς λέγειν, acer dicere, hoc est in dicendo; ὀξὺς ὁρᾷν, acutus videre; βαθεῖα περάσαι, profunda transire; ἔμπειρος ᾄδειν, peritus cantare &c. Eupolis Comicus.

Λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν.
Loqui optimus, pessimus dicere.

Epicharmus

Δει

Δεινὸς λέγειν ὐκ, ἀλλὰ σιγᾷν ἀδύνατος.

Dicere haud aptus, at tacere non potis.

XXV. Multa Adjectiva, laudem, vituperationem, patriam, gentem, aut partem significantia, Accusativum rugunt apud Græcos; item Participia, & verba, subintellectâ præpositione κατὰ, περὶ, sive *secundùm, circa, ad*. Latinis hoc itidem cum Græcis commune: ut, cùm dicunt, *auctus opes, albus dentes, cætera doctus, pleraque Italus &c.* quæ loca integrè habentur suffectâ aliquâ ex dictis præpositionibus; ut: *auctus secundùm opes, albus sequoad dentes, doctus circa cætera, Italus secundùm pleraque.* Cic. pro Quinct. *Sanè cætera paterfamilias, & prudens & attentus.* Vellejus Paterc. *Qui vir cætera sanctissimus, immunisque voluptatibus.* Tacit. 6. Ann. *Clari genus.* Gellius l. 9. c. 10. *Annæus Cornutus, homo sanè pleraque alia non indoctus.* Præterea apud Sallustium, Livium, ac Tacitum Hellenismum hujusmodi non semel reperies. Virg. 4. Æn.

Omnia Mercurio similis, vocemque, coloremq;

Et 5. Æn. *Cressa genus Pholoe.*

Statius 2. Sylv.

Incorrupte fidem, nullosque experte tumultus.

Græci, ut superiùs innuimus, Ellipsin Præpositionis supplent per κατὰ, aut περὶ; ut: Σύρος ἐστὶ τοὔνομα, καὶ πατρίδα, *Syrus nomen, & patriam.* Lucianus. Τὰ θαλάττια σοφὸς: *callidus res marinas.* Xenophon. Ἀγαθοὶ τὰ πολεμικὰ: *boni res bellicas.* Herodianus. Εἰκόνα πάντα ὁμοίαν τῷ τελευτηκότι. *Imaginem omnia similem Defuncto.*

Et

Et hæc satis de Græcanicis Adjectivorum Nominum constructionibus, quæ non est satis dicere quantùm lucis allaturæ sint, in explicandis potissimùm Historicis, atque Poëtis, tùm Græcis, tùm Latinis, quibus perpetuò placuit ἑλληνίζειν. Nunc denuo ad Collocationem descendamus.

XXVI. Venustatem addit locutioni Adjectivum plurium syllabarum, in fine Periodi collocatum: ut, *Amicum invenire bonum est perdifficile*. Ex Caussino l. 7. c. 15. Cic. de Offic. l. 1. *Ex quo intelligi potest, nullum bellum esse justum, nisi quod, aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum ante sit, & indictum.* Id. pro Milone. *Sed ut haberet quod se dicebat ad Præturam gerendam; hoc est ad evertendam Rempubl. plenum annum atque integrum.* Horat. l. 2. od. 3.

Cum populo, & Duce fraudulento.

Virg. 6. Æn.

Unaque Sibillam
Convectus trahit in medios, turbamque sonantem.

Lucr. de R. Nat.

Ova parire solet genus pennis condecoratum.

parire pro *parere*.

Nonnunquam etiam Adjectiva dissyllaba claudunt Periodum; sed rariùs admodùm.

XXVII. Nomina numerum significantia substantivis postponantur. Ex Francisco Silvio Prog. Cent. 1. c. 4. Cic. 1. Off. *Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares; sed omnes omnium charitates patria una complexa est.* Et 2. de Orat. *Definitio primùm reprehenso verbo uno, aut addito, aut dempto, sæpe extorquetur è manibus.* Plin.

Ho-

Homini non ante diem septimum lethalis inedia. Minus profectò fuisset elegantiæ dicendo: *una patria, uno verbo, septimum diem &c.* Sic etiam affabrè locuti Poëtæ. Ovid. *Teneros lædunt juga prima juvencos.* Plautus. *Pluris est testis oculatus unus, quàm auriti decem.*

XXVIII. Numeralia nomina quomodo debeant ordinari, apertè monstrat P. Carolus libri suprà recensiti pag. 236.

1. Quoties à viginti versantur usque ad centum, & conjunctio quædam interponitur, minora majoribus elegantiùs anteponuntur; ut, *Quartus, & vigesimus: tertius, & sexagesimus.* Sic apud Tullium non semel. *Horum Pater ab hinc duos & viginti annos est mortuus. Cujus à morte, jam tertius & trigesimus est annus. Isocrates quarto & septuagesimo anno eum librum....scripsisse dicitur.* Liv. lib. 1. *Romulus septem & triginta regnavit annos.* Et alibi sæpiùs. Minorem quoque majori præpositum sine ullâ conjunctione apud Svetonium, imò & apud Ciceronem habemus: *Periit cum fratre, & filio anno vitæ septimo quinquagesimo. Septimo quinquagesimo die rem confeci.* Hunc præterea usum, quamvis inter Scriptores receptissimum, præponendi scilicet minorem majori numero à viginti ad centum, quidam & primæ notę respuerunt. Sic Sveton. *Funeratus trigesimo & octavo ætatis anno*, pro *octavo & trigesimo.* Et alibi *Obiit trigesimo, & quinto ætatis anno.* M. Cic. filius: *Venerunt post diem quadragesimum, & sextum.* Tacitus dialog. de Oratorib. diversos simul effert numerandi modos:

modos: *Statue VI. & L. annos, quibus mox Divus Augustus Remp. rexit: adjice Tiberii tres & viginti, & prope quadriennium Caii, ac bis quaternos denos Claudii, & Neronis annos, atque ipsum Galbæ, & Othonis, & Vitellii unum annum, ac sextum jam felicis hujus principatus stationem, qua Vespasianus Remp. fovet*.

2. Post centum minor numerus subsequitur, interpositâ conjunctione. Cic. de Senect. *Leontius Gorgias centum, & septem implevit annos*. Id. ib. *Octoginta regnavit annos, centum, & viginti vixit*. Id. 1. Off. *Qui, cùm centum triginta dierum essent cum hoste pactæ induciæ &c*. Et l. 6. ep. 4. *Locus est citra Leucadem stadia centum viginti*. Tacit. dialog. de Orat. *C. & XX. anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, unius hominis ætas*.

3. Numeralia usque ad viginti ferè singula sunt; ut, *septem, octo, duodecim*. *Septem, & decem* pro *septendecim*, M. Cicero dixit. *Ille*, inquit, *egit septem, & decem annos*. Plinius quoque ordine alio. *Decem, & septem*, inquit, *millibus passuum ab Urbe secessit*. Vossio placet, quod usque ad decem utamur simplici voce; post decem usque ad decimum septimum, voce compositâ, inquâ minor numerus præcedat; ut, *undecim, duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, sexdecim*. Post hunc numerum, cum Priscano lib. de Num. numerum majorem præmittit, eique copulam cum minori numero subjicit, hoc pacto: *decem, & septem; decem, & octo; decem, & novem*. Sed aut codices sunt corrupti, aut,

aut, quod recitet Priscianus, etiam dicere liceat *septendecim*, *octodecim*, *novendecim*; Nam *septendecim* apud Sveton. in Nerone, & Tull. 2. cont. Rull. legas; uti *octodecim*, & *novendecim* in Eutropii breviario. Itaque Linacer autumat; utroque modo dici posse. Sed Elias Vinetus in eâ sententiâ est, ex eo à Prisciano silentio prætermitti, quòd reverâ veteres non ita fuerint locuti, sed usi his notis XVII, XVIII, XVIX, quas inde Librarii vocibus integris, at minùs Latinis expresserint. Utcumque res se habeat, tutiùs sequemur Priscianum; præcipuè cùm in codicibus vetustis sic longè frequentiùs legatur.

4. Octonarium, aut Novenarium numerum expressuri, decadem viciniorem accipimus, illique *unde*, aut *duode* præfigimus hac ratione. *octodecim* dicturi *duode viginti* dicimus; *novendecim*, *undeviginti*; quia à viginti vno, aut altero numero detracto restant decem & novem, decem & octo. Sic enunciabimus duo de triginta, unde triginta, duo de quinquaginta, ac deinceps consimiliter vsque ad centum. Hacque dicendi formulâ nihil apud optimos Latini sermonis auctores usitatiùs. Sic Cic. de Cl. Orat. *Is undeviginti annos natus erat eo tempore*. Pro Pomp. *Undequinquagesimus*. Plin. l. 7. c. 6. *Undecentum*. Liv. l. 7. *Undetrigesimus*. Et lib. 5. *Undequadraginta*. Horat. 2. Ser. Sat. 3. *Undeoctoginta*. Istum sanè loquendi modum à Græcis profectum docet Festus. Videantur Erasmus de Utrâque Copiâ l. 1. c. 149. Voss.

de

de Anal. l. 4. c. 9. Alexander Scot in Auctariis Nicolii hunc Canona his verbis complexus est: *Undè numeris præpositum, supra decem, unum detrahit à quovis numero, præter undecim, & quæ ab eo deducta sunt: sicut* duode *detrahit duo præterquam in duodecim*. Supra centum compositè per Adjectivum, aut incompositè per Adverbium efferimus; *Ducentos, bis centum: trecentos, ter centum*; atque eodem modo usque ad mille. Mille multiplicamus vel substantivè, vel Adjectivè cum Adverbio. *Mille nummum: mille nummos. Bis mille nummos. Duo millia nummorum*. Pergendumque consimili ratione ad mille millia, aut millies mille.

5. Poëtæ in numeris significandis raro sequuntur Oratores; sed frequentiùs vel eos per periphrasim exprimunt, vel nominibus cardinalibus indeclinabilibus, seu distributivis utuntur cum adverbiis bis, ter, quater &c. ut, *bis sex*, vel *bis seni* pro duodecim; *terquinque*, vel *terquini*, pro quindecim &c. Tibul. l. 3. eleg. 5.

Ter quinos languent nunc mea membra dies.

Ovid. 3. Fast.

Martia ter senos proles adoleverat annos.

Id. in 4. menses duodecim.

Et tribus ante quater mensibus ortus erat.

Et in Ibin. annos quinquaginta.

Tempus ad hoc lustris mihi jam bis quinque peractis.

Martial. l. 5. ep. 28.

Bis septena tibi non sunt subsellia tanti.

Virgil. Æn. 1. *Sunt mihi bis septem &c.*

Ter centum nivei tondent dumeta juvenci.

No-

6. Notandum cum Erasmo, quod in conjunctione numeri majoris, & minoris, pro *uno*, aut *primo*, licet ponere *alterum*. Cic. *Literas accepi tuas, quas mihi Cornificius altero, & vigesimo die reddidit*. idest vigesimo primo. Id. pro Mil. *Centesima lux est ab interitu P. Clodii, & opinor, altera*. idest, centesimus primus dies. Item Livius. *Anno trigesimo altero, quàm condita Roma erat*. hoc est, trigesimo primo. Quin & citra talem conjunctionem, *alterum* frequenter pro *secundo* ponitur. Unum, alterum, tertium annum saxa quiescebant. Similiter *unus, & alter*, pro *unus, & iterum unus*. *unus vel alter*, pro *unus vel duo*.

7. Oratores magnum quempiam, indefinitumque numerum dicturi *sexcenta* dicunt, Poëtæ secùs *mille*. Cic. l. 6. epist. 1. *Quid enim delectationis habent sexcenti muli in Clytemnestra?* Id. 2. de Divin. *Sexcenta licet ejusmodi proferre*. Et l. 7. epist. 2. *Venio ad epistolas tuas, quas ego sexcentas uno tempore accepi*. Virg. lib. 7. Æn.

Tibi nomina mille,
Mille nocendi artes

Ovid. *Ecquis non causas mille doloris habet?* Sic Lucan. l. 7. *Mille duces*. Ovid. Met. 4. *Mille greges illi*. Rursum Virgil. *Mille agnæ*, Eclog. 2. Interdum quoque pro *mille centum* substituunt. Sic *centum greges* apud Horat. l. 2. od. 16. *Centum puer artium*, apud eundem libr. 4. & *centum juvenci* apud eund. lib. Epod. Virgil. quoque Æn. 6. *Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum*.

De

8. De ordinalibus nominibus hæc præſcribit Voſſius lib. de Conſtruct. c.67. In ordinalibus poſt duodecimum copula omittitur, ſi minor numerus præcedat. Ut, *tertiuſdecimus, quartuſdecimus, quintuſdecimus, ſextuſdecimus, ſeptimuſdecimus, octavuſdecimus*, qui & *duodevigeſimus, nonuſdecimus*, qui & *undevigeſimus*. Plinius lib. 10. c.58. *Namque octavodecimo die excludunt, ſtatimque concipiunt*. Etſi in his ferè numerus per notas numerales exprimi potiùs ſoleat, quàm literis univerſis. Sed ſi major numerus præeat, copulam addere jubet Priſcianus. Ut, *decimus, & ſeptimus; decimus, & octavus*. In vulgaribus tamen Codd. legas, *decimus tertius, decimus quartus*, & ita deinceps ſine copulâ. Sed hîc quoque Vineti judicium eſt; tutiùs nos Priſcianum ſequi, cujus temporibus integriores erant codices, quàm noſtris. A *viginti* uſque ad *centum*, ſi prior ſit numerus major, copula omittitur; ut, *viginti octo*, non *viginti & octo*: *trigeſimus octavus*, non *trigeſimus, & octavus*. At ſi minor præcedat, conjunctione utimur; itaque dicimus, *primus, & vigeſimus*, vel etiam *unus, & uigeſimus &c*. Similiter in diſtributivis dicemus *viceni ſinguli, triceni bini, ſexageni quaterni*: Sed cum copulâ, *ſinguli, & viceni, bini & triceni, quaterni, & ſexageni*. Poſt centum major numerus præcedit, ſequitur minor, nunc cum copulâ, nunc abſque illâ. Plin. l. 7. c. 49. *Epigenes centum duos annos impleri negavit poſſe. Beroſus centum ſeptendecim*. Cic. ad Att. l. 6. epiſt. 1. *Poſt Leuctricam pugnam die*

ſeptim-

eptingentesimo sexagesimo quinto. Vide fu-
iùs de his Linacrum in tertio, & Geor-
gium Heneschium lib. de Numerandi ra-
ione.

XXIX. Voces *omnis, nullus, alienum,*
liud, alterum, utrumque, solum, ullum, ta-
, singula, aliaque hoc genus adjectiva,
ubstantivis postponenda. Cic. 2. Off.
era gloria radices agit, atque etiam propa-
atur; ficta omnia tamquam flosculi decidunt
d. lib.13. ep.8. *Majus mihi dare beneficium*
ullum potes. Etic.16. ad Att.3. *Navigatio-*
s labor alienus &c. Item 2. de Div. *Signa*
ia alio in loco intuentes lacrymantes intue-
ntur. De orat. *Id est genus alterum*. Gel-
ius. *Nunc autem plerique partis utriusque*
uici &c. Cic. 2. de Div. *Cum in locis solis*
ares. Liv. l. 7. *Neque verò Urbis partem*
am &c. Gellius. *Multam nos quoque a-*
d Scriptores veteres locutionum talium co-
m offendimus. Tull. 2. Tusc. *Hæc olim*
ectis singulis colligebant. His adjungan-
quodvis, quodlibet, totum, cætera, reliqua,
ique hujusmodi multitudinem deno-
tia. Ovid. Met. 4.

cius omnis abest; nutu, signisq; loquuntur.
ib. *Commissaque corpore toto.*
ullus.
ue ego ab indignis præmia nulla peto.

andum, quod nomina *tale*, & *aliud*
ineptè tunc præponantur, cùm sub-
atur, *nihil, nemo, quidquam nullus, ul-*
iam in diversis casibus; ut, *tale nihil*
ico nunquam putassem; alium neminem
ale quidquam, quis viderit? Cic. l. 4.
His verò temporibus habemus aliud ni-
hil

pars orationis una pro alterâ ponitur. Advertendum tamen est, quod Adjectivum hoc pro Adverbio usurpatum gravi afficitur accentu communiter: sunt enim qui negligant. Porrò superiùs expositam constructionem Græcanicam esse, atque à Latinis Græcorum more frequentatam, nemo est, qui non noverit: dicitur enim πότερον, πότερα adjectivum nomen pro *utrùm*, καλὰ *pulchrè*, ὀξὺ *celeritèr*, ταχὺς *velociter &c.* Et quoniam in Hellenismos incidimus, cæteros hìc, qui de Nominibus Adjectivis sunt, subjungimus: Maximam enim Tironibus allaturos utilitatem, certò scio.

XXI. Adjectivum neutrum venustè jungitur substantivo masculino, aut fœminino, idque Græcorum more. Cic. de finib. *Bonum liberi, misera orbitas; bonum patria, miserum exilium; bonum valetudo, miserum morbus.* Quintill. *Facultas dicendi si in malos incidit, judicanda est malum.* Gell. *Critolaus Peripateticus & malum esse voluptatem ait.*

Propert. *Nec forma æternum, haud cuiquam est fortuna perennis.*

Ovid. Amor. lib. 1. el. 9. vers. 4.

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Idem.

Turpe jacens mulier multo madefacta Lyæo.

Virg. Ecl. 3.

Triste lupus stabulis; maturis frugibus imbres
Dulce satis humor &c.

Et 4. Æneid.

Varium, & mutabile semper
Fœmina.

Hoc

Hoc dicendi genus, quidam ad Enallagen, quidam verò, ac meliùs, ad Ellipsin revocant; intelligitur enim in Græcis vox χρῆμα, in Latinis *negotium*, *res*, aut simile, seu pronomen, *quid*, *quiddam*, vel *aliquid*; ita vt sensus sit v. g. *Triste lupus stabulis*: *Triste quid lupus stabulis*; & illud: *Varium & mutabile semper fœmina*, posset sic integrè efferri. *Varium & mutabile quiddam est fœmina*: Par ratio est de sequentibus Græcis exemplis. Demost. Ἄπιστον ταῖς πολιτείαις ἡ τυραννὶς. *Infidum Respubl. tyrannis*. Item ejusdem. Πονηρὸν ὁ συκοφάντης. *Improbum est sycophantes*. Et hujus Homerici Iliad. 2.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.

Non bonum est multorum dominatus: Quorum omnium exemplorum defectus per verbum χρῆμα suppleveris, ut dictum est. Sic supplevit Epitectus. Ἀθάνατον χρῆμα ἡ ἀλήθεια ἀΐδιον. *Veritas res est immortalis, & sempiterna*.

XXII. Adjectivum apud Græcos substantivè ponitur, & more substantivorum construitur: Adjectivum tamen illud neutrum afficiunt præpositivo articulo τὸ; tuncque planè valent idem, quod abstracta. Sic Demosth. Τὸ τοῦ Θεοῦ εὐμενὲς ἡμῖν συναγωνίζεται. *Dei benevolentia nos adjuvat*. ubi εὐμενὲς stat pro εὐμένεια. S. Basil. Πρέπει πανταχοῦ τὸ τραχὺ ἀπωθεῖσθαι. pro τὴν τραχύτητα. Latini quoque eos imitati sunt; ac præsertim Poëtæ. Sic Ovid. Met. 1.

Non illo melior quisquam, nec amantior æqui
Vir fuit &c.

Virg. 2. Æneid.

ferratissimus æqui.

i. *æquitatis*: *honestum* pro *honestate*, *pium* pro *pietate*. Hellenismus itidem est, quamvis à Latinis Scriptoribus frequentatus, illa dicendi forma, quâ Adjectivum ponitur in neutro pluralis numeri, & substantivum in Genitivo. Curt. l. 6. *Edita montium*. i. *editi montes*. Tacit. 11. Annal. *Neque suspiciones imbecilles, aut inania famæ*. Et apud Livium non semel: *incerta casuum, subita rerum, diversa montium &c.*

Lucret. lib. 1.

Clausa domorum

Transvolitant.

Et l. 6. *Penetrat per rara viarum.*

Virg. Æn. 6. *Per apoca viarum.*

Horat. l. 2. od. 1. *Et cuncta terrarum subacta.*

Id. l. 4. od. 12. *Amaraque curarum.*

Et l. 1. Sat. ult. *Incerta casuum.*

Græci quoque τὰ ἄδηλα τῆς τύχης incerta fortunæ.

XXIII. Eleganter apponitur Adjectivo casus Genitivus, ut: *abstinens pecuniæ, abundans corporis, cæcus futurorum, candidus eloquii, nimius animi*. i. *iracundus*: *nimius imperii, sermonis*. i. *severus, loquax*: *plenus fori, litium, animi, crapulæ, iræ, somni, timoris &c. parcus irarum, æris; reus voti*, idest, *qui debet solvere votum &c.* Exemplorum quia satis abunde est, eaque jamdum congessit Vossius lib de Construct. c. 10. paucis hic contenti erimus. Sallust. de bel. Cat. *Corpus patiens inediæ, algoris, vigiliæ*. Tac. 1. An. *Invictus operis ac laboris*. Et l. 3. *Impiger militiæ*. Et 4. *Ferox scelerum.*

lerum. Et 6. *Trepidus admirationis & metus*. Verùm his, & similibus parciùs utantur Oratores; utpote ad Historicorum, & Poëtarum phrasin accedentibus. Tutiora sunt quæ leguntur apud Tullium, Quintilianum, aliosque, Adjectiva Genitivo casu donata. Ad Att. 11. epist. 2. *Tam insuetus contumeliæ*. Quintil. lib. 2. cap. 2. *Judex quamprimum certus esse sententiæ cœpit*. Et lib. 7. c. 3. *Securus tam parvæ observationis*. Plin. l. 25. c. 2. *Medicinæ peculiariter curiosus*. Lucanus l. 6.

Felix, ac libera legum
Roma fores.

Ovid. Met. 5.

Sed tolerare diu cursus ego viribus impar
Non poteram; longi patiens erat ille laboris.

Porrò & hæc Græcanica constructio est; eâque nihil frequentiùs in Græcis Scriptoribus, ibique passim occurrunt exempla, quæ propterea non recito.

XXIV. Adjectivis Græci adjungunt Infinitivum. Hoc imitantur Latini; sed ferè tantùm Poëtæ; & primò apponunt Infinitivum Adjectivo; Adjectivum tamen istud voluntatem, aut facultatem significat; Infinitivumque habet vim nominis, & subintelligitur præpositio *ad*. v. g. *bonus canere* dicitur: quod integrè esset, *bonus ad canere*, sive *ad canendum*. Virgil. Ecl. 5.

Boni convenimus ambo
Tu calamos inflare leves, ego dicere versus.

Ovid. 2. Fast.

Silvaque montanas occulere apta feras.

Horat. cui familiarior is sermo, maximè-

que

que in odis fuit, ubi mirè Græcissat l. 1. od. 10.

Callidum quidquid placuit jocoso
Condere furto.

Et od. 12.

Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus

Ibid. *Nobilem superare.* Od. 15. *Præsens tollere.* Od. 24. *Lenis fata recludere.* Od. 29. *Doctus sagittas condere.* Od. 35. *Dolosi ferre jugum.* Od. 37. *Impotens sperare.* Et similia quamplurima in cæteris Odarum, Satyrarumque libris. Apud Oratores tantummodò infinitivus reperitur junctus cum Adjectivo *paratus, promptus*, aut simile. Sic Tull. pro P. Quinctio. *Id quoque parati sunt facere.* Et lib. 15. epist. 4. *Subire paratissimus.* Secundò Latini Infinitiuum verbi Passivi, aut Deponentis apponunt Adjectivo. Ut apud Flaccum in Arte.

Cereus in vitium flecti.

Et lib. 1. od. 3. *Audax omnia perpeti.*
Ibid. od. 1. *Indocilis pauperiem pati.*
Et od. 15. *Et celerem sequi Ajacem.*
Lib. 1. epist. 20. *Irasci celerem.*

Senec. Herc. Fur.

Et saxa fluctu volvit Acheron invius.
Renavigari.

De Græcis, exempla hæc sunto. δεινὸς λέγειν, acer dicere, hoc est in dicendo; ὀξὺς ὁρᾷν, acutus videre; βαθεῖα περᾶσαι, profunda transire; ἔμπειρος ᾄδειν, peritus cantare &c. Eupolis Comicus.

Λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν.
Loqui optimus, pessimus dicere.

Epicharmus

Δεῖ

Δεξιὸς λέγειν οὐκ, ἀλλὰ σιγᾷν ἀδύνατος.
Dicere haud aptus, at tacere non potis.

XXV. Multa Adjectiva, laudem, vituperationem, patriam, gentem, aut partem significantia, Accusativum rugunt apud Græcos; item Participia, & verba, subintellectâ præpositione κατὰ, περὶ, sive *secundùm, circa, ad*. Latinis hoc itidem cum Græcis commune: ut, cùm dicunt, *auctus opes, albus dentes, cætera doctus, pleraque Italus &c.* quæ loca integrè habentur suffectâ aliquâ ex dictis præpositionibus; ut: *auctus secundùm opes, albus quoad dentes, doctus circa cætera, Italus secundùm pleraque*. Cic. pro Quinct. *Sanè cætera paterfamilias, & prudens & attentus*. Vellejus Paterc. *Qui vir cætera sanctissimus, immunisque voluptatibus*. Tacit. 6. Ann. *Clari genus*. Gellius l. 9. c. 10. *Annæus Cornutus, homo sanè pleraque alia non indoctus*. Præterea apud Sallustium, Livium, ac Tacitum Hellenismum hujusmodi non semel reperies. Virg. 4. Æn.
Omnia Mercurio similis, vocemque, coloremq;
Et 5. Æn. *Cressa genus Pholoe*.
Statius 2. Sylv.
Incorrupte fidem, nullosque experte tumultus.
Græci, ut superiùs innuimus, Ellipsin Præpositionis supplent per κατὰ, aut περὶ; ut: Σύρος καὶ τοὔνομα, καὶ πατρίδα, *Syrus nomen, & patriam*. Lucianus. Τὰ θαλάττια σοφὸς: *callidus res marinas*. Xenophon. Ἀγαθοὶ τὰ πολεμικὰ: *boni res bellicas*. Herodianus. Εἰκόνα πάντα ὁμοίαν τῷ τελευτηκότι. *Imaginem omnia similem Defuncto*.

Et

Et hæc ſatis de Græcanicis Adjectivorum Nominum conſtructionibus, quæ non eſt ſatis dicere quantùm lucis allaturæ ſint, in explicandis potiſſimùm Hiſtoricis, atque Poëtis, tùm Græcis, tùm Latinis, quibus perpetuò placuit ἑλληνίζειν. Nunc denuo ad Collocationem deſcendamus.

XXVI. Venuſtatem addit locutioni Adjectivum plurium ſyllabarum, in fine Periodi collocatum: ut, *Amicum invenire bonum eſt perdifficile*. Ex Cauſſino l. 7. c. 15. Cic. de Offic. l. 1. *Ex quo intelligi poteſt, nullum bellum eſſe juſtum, niſi quod, aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum ante ſit, & indictum.* Id. pro Milone. *Sed ut haberet quod ſe dicebat ad Præturam gerendam; hoc eſt ad evertendam Rempubl. plenum annum atque integrum*. Horat. l. 2. od. 3.

Cum populo, & Duce fraudulento.

Virg. 6. Æn.

Unaque Sibillam
Conventus trahit in medios, turbamque ſonantem.

Lucr. de R. Nat.

Ova parire ſolet genus pennis condecoratum.
parire pro *parere*.

Nonnunquam etiam Adjectiva diſſyllaba claudunt Periodum; ſed rariùs admodùm.

XXVII. Nomina numerum ſignificantia ſubſtantivis poſtponantur. Ex Franciſco Silvio Prog. Cent. 1. c. 4. Cic. 1. Off. *Cari ſunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares; ſed omnes omnium charitates patria una complexa eſt*. Et 2. de Orat. *Definitio primùm reprehenſo verbo uno, aut addito, aut dempto, ſæpe extorquetur è manibus*. Plin.

Ho-

Homini non ante diem septimum lethalis inedia. Minus profectò fuisset elegantiæ dicendo: *una patria, uno verbo, septimum diem &c.* Sic etiam affabrè locuti Poëtæ. Ovid. *Teneros lædunt juga prima juvencos.* Plautus. *Pluris est testis oculatus unus, quàm auriti decem.*

XXVIII. Numeralia nomina quomodo debeant ordinari, apertè monstrat P. Carolus libri suprà recensiti pag. 236.

1. Quoties à viginti versantur usque ad centum, & conjunctio quædam interponitur, minora majoribus elegantiùs anteponuntur; ut, *Quartus, & vigesimus: tertius, & sexagesimus.* Sic apud Tullium non semel. *Horum Pater ab hinc duos & viginti annos est mortuus. Cujus à morte, jam tertius & trigesimus est annus. Isocrates quarto & septuagesimo anno eum librum....scripsisse dicitur.* Liv. lib. 1. *Romulus septem & triginta regnavit annos.* Et alibi sæpiùs. Minorem quoque majori præpositum sine ullâ conjunctione apud Svetonium, imò & apud Ciceronem habemus: *Periit cum fratre, & filio anno vitæ septimo quinquagesimo. Septimo quinquagesimo die rem confeci.* Hunc præterea usum, quamvis inter Scriptores receptissimum, præponendi scilicet minorem majori numero à viginti ad centum, quidam & primæ notę respuerunt. Sic Sveton. *Funeratus trigesimo & octavo ætatis anno,* pro *octavo & trigesimo.* Et alibi *Obiit trigesimo, & quinto ætatis anno.* M. Cic. filius: *Venerunt post diem quadragesimum, & sextum.* Tacitus dialog. de Oratorib. diversos simul effert numerandi modos:

modos: *Statue VI. & L. annos, quibus mox Divus Augustus Remp. rexit: adjice Tiberii tres & viginti, & prope quadriennium Caii, ac bis quaternos denos Claudii, & Neronis annos, atque ipsum Galbæ, & Othonis, & Vitellii unum annum, ac sextum jam felicis hujus principatus stationem, qua Vespasianus Remp. fovet.*

2. Post centum minor numerus subsequitur, interpositâ conjunctione. Cic. de Senect. *Leontius Gorgias centum, & septem implevit annos.* Id. ib. *Octoginta regnavit annos, centum, & viginti vixit.* Id. 1. Off. *Qui, cùm centum triginta dierum essent cum hoste pactæ induciæ &c.* Et l. 6. ep. 4. *Locus est citra Leucadem stadia centum viginti.* Tacit. dialog. de Orat. *C. & XX. anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, unius hominis ætas.*

3. Numeralia usque ad viginti ferè singula sunt; ut, *septem, octo, duodecim. Septem, & decem* pro *septendecim*, M. Cicero dixit. *Ille*, inquit, *egit septem, & decem annos.* Plinius quoque ordine alio. *Decem, & septem*, inquit, *millibus passuum ab Urbe secessit.* Vossio placet, quod usque ad decem utamur simplici voce; post decem, usque ad decimum septimum, voce compositâ, inquâ minor numerus præcedat; ut, *undecim, duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, sexdecim.* Post hunc numerum, cum Priscano lib. de Num. numerum majorem præmittit, eique copulam cum minori numero subjicit, hoc pacto: *decem, & septem; decem, & octo; decem, & novem.* Sed aut codices sunt corrupti, aut,

aut, quod recitet Priscianus, etiam dicere liceat *septendecim*, *octodecim*, *novendecim*; Nam *septendecim* apud Sveton. in Nerone, & Tull. 2. cont. Rull. legas; uti *octodecim*, & *novendecim* in Eutropii breviario. Itaque Linacer autumat; utroque modo dici posse. Sed Elias Vinetus in eâ sententiâ est, ex eo à Prisciano silentio prætermitti, quòd reverâ veteres non ita fuerint locuti, sed usi his notis XVII, XVIII, XVIX, quas inde Librarii vocibus integris, at minùs Latinis expresserint. Utcumque res se habeat, tutiùs sequemur Priscianum; præcipuè cùm in codicibus vetustis sic longè frequentiùs legatur.

4. Octonarium, aut Novenarium numerum expressuri, decadem viciniorem accipimus, illique *unde*, aut *duode* præfigimus hac ratione. *octodecim* dicturi *duode viginti* dicimus; *novendecim*, *undeviginti*; quia à viginti vno, aut altero numero detracto restant decem & novem, decem & octo. Sic enunciabimus duo de triginta, undetriginta, duo de quinquaginta, ac deinceps consimiliter vsque ad centum. Hacque dicendi formulâ nihil apud optimos Latini sermonis auctores usitatiùs. Sic Cic. de Cl. Orat. *Is undeviginti annos natus erat eo tempore*. Pro Pomp. *Undequinquagesimus*. Plin. l.7. c.6. *Undecentum*. Liv. l.7. *Undetrigesimus*. Et lib.5. *Undequadraginta*. Horat. 2. Ser. Sat. 3. *Undeoctoginta*. Istum sanè loquendi modum à Græcis profectum docet Festus. Videantur Erasmus de Utrâque Copiâ l. 1. c. 149. Voss.

de

de Anal. l. 4. c. 9. Alexander Scot in Auctariis Nicolii hunc Canona his verbis complexus est: *Undè numeris præpositum, supra decem, unum detrahit à quovis numero, præter undecim, & quæ ab eo deducta sunt: sicut* duode *detrahit duo præterquam in duodecim.* Supra centum compositè per Adjectivum, aut incompositè per Adverbium efferimus; *Ducentos, bis centum: trecentos, ter centum*; atque eodem modo usque ad mille. Mille multiplicamus vel substantivè, vel Adjectivè cum Adverbio. *Mille nummum: mille nummos. Bis mille nummos. Duo millia nummorum.* Pergendumque consimili ratione ad mille millia, aut millies mille.

5. Poëtæ in numeris significandis rarò sequuntur Oratores; sed frequentiùs vel eos per periphrasim exprimunt, vel nominibus cardinalibus indeclinabilibus, seu distributivis utuntur cum adverbiis bis, ter, quater &c. ut, *bis sex*, vel *bis seni* pro duodecim; *terquinque*, vel *terquini*, pro quindecim &c. Tibul. l.3. eleg. 5.

Ter quinos languent nunc mea membra dies.

Ovid. 3. Fast.

Martia ter senos proles adoleverat annos.

Id. in 4. menses duodecim.

Et tribus ante quater mensibus ortus erat.

Et in Ibin. annos quinquaginta.

Tempus ad hoc lustris mihi jam bis quinque peractis.

Martial. l.5. ep.28.

Bis septena tibi non sunt subsellia tanti.

Virgil. Æn.1. *Sunt mihi bis septem &c.*

Ter centum nivei tondent dumeta juvenci.

No-

6. Notandum cum Erasmo, quod in conjunctione numeri majoris, & minoris, pro *uno*, aut *primo*, licet ponere *alterum*. Cic. *Literas accepi tuas, quas mihi Cornificius altero, & vigesimo die reddidit*. idest vigesimo primo. Id. pro Mil. *Centesima lux est ab interitu P. Clodii, & opinor, altera*. idest, centesimus primus dies. Item Livius. *Anno trigesimo altero, quàm condita Roma erat*. hoc est. trigesimo primo. Quin & citra talem conjunctionem, *alterum* frequenter pro *secundo* ponitur. Unum, alterum, tertium annum saxa quiescebant. Similiter *unus, & alter*, pro *unus, & iterum unus*. *unus vel alter*, pro *unus vel duo*.

7. Oratores magnum quempiam, indefinitumque numerum dicturi *sexcenta* dicunt, Poëtæ secùs *mille*. Cic. l. 6. epist. 1. *Quid enim delectationis habent sexcenti muli in Clytemnestra?* Id. 2. de Divin. *Sexcenta licet ejusmodi proferre*. Et l. 7. epist. 2. *Venio ad epistolas tuas, quas ego sexcentas uno tempore accepi*. Virg. lib. 7. Æn.

Tibi nomina mille,
Mille nocendi artes

Ovid. *Ecquis non causas mille doloris habet?* Sic Lucan. l. 7. *Mille duces*. Ovid. Met. 4. *Mille greges illi*. Rursum Virgil. *Mille agnæ*, Eclog. 2. Interdum quoque pro *mille centum* substituunt. Sic *centum greges* apud Horat. l. 2. od. 16. *Centum puer artium*, apud eundem libr. 4. & *centum juvenci* apud eund. lib. Epod. Virgil. quoque Æn. 6. *Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum*.

De

8. De ordinalibus nominibus hæc præscribit Vossius lib. de Construct. c. 67. In ordinalibus post duodecimum copula omittitur, si minor numerus præcedat. Ut, *tertiusdecimus, quartusdecimus, quintusdecimus, sextusdecimus, septimusdecimus, octavusdecimus*, qui & *duodevigesimus, nonusdecimus*, qui & *undevigesimus*. Plinius lib. 10. c. 58. *Namque octavodecimo die excludunt, statimque concipiunt*. Etsi in his ferè numerus per notas numerales exprimi potiùs soleat, quàm literis universis. Sed si major numerus præeat, copulam addere jubet Priscianus. Ut, *decimus, & septimus; decimus, & octauus*. In vulgaribus tamen Codd. legas, *decimus tertius, decimus quartus*, & ita deinceps sine copulâ. Sed hîc quoque Vineti judicium est; tutiùs nos Priscianum sequi, cujus temporibus integriores erant codices, quàm nostris. A *viginti* usque ad *centum*, si prior sit numerus major, copula omittitur; ut, *viginti octo*, non *viginti & octo*: *trigesimus octavus*, non *trigesimus, & octavus*. At si minor præcedat, conjunctione utimur; itaque dicimus, *primus, & vigesimus*, vel etiam *unus, & uigesimus &c.* Similiter in distributivis dicemus *viceni singuli, triceni bini, sexageni quaterni*: Sed cum copulâ, *singuli, & viceni, bini & triceni, quaterni, & sexageni*. Post centum major numerus præcedit, sequitur minor, nunc cum copulâ, nunc absque illâ. Plin. l. 7. c. 49. *Epigenes centum duos annos impleri negavit posse. Berosus centum septendecim*. Cic. ad Att. l. 6. epist. 1. *Post Leuctricam pugnam die*

septin-

ſeptingenteſimo ſexageſimo quinto. Vide fuſiùs de his Linacrum in tertio, & Georgium Heneſchium lib. de Numerandi ratione.

XXIX. Voces *omnis, nullus, alienum, aliud, alterum, utrumque, ſolum, ullum, tale, ſingula*, aliaque hoc genus adjectiva, ſubſtantivis poſtponenda. Cic. 2. Off. *Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur; ficta omnia tamquam floſculi decidunt.* Id. lib.13. ep.8. *Majus mihi dare beneficium nullum potes*. Etic.16. ad Att.3. *Navigationis labor alienus &c.* Item 2. de Div. *Signa alia alio in loco intuentes lacrymantes intuebantur*. De orat. *Id eſt genus alterum*. Gellius. *Nunc autem plerique partis utriuſque amici &c.* Cic. 2. de Div. *Cum in locis ſolis errares*. Liv. l. 7. *Neque verò Urbis partem ullam &c.* Gellius. *Multam nos quoque apud Scriptores veteres locutionum talium copiam offendimus*. Tull. 2. Tuſc. *Hæc olim punctis ſingulis colligebant*. His adjungantur *quodvis, quodlibet, totum, cætera, reliqua*, aliaque hujuſmodi multitudinem denotantia. Ovid. Met. 4.

Conſcius omnis abeſt; nutu, ſigniſq; loquuntur.

Id. ib. *Commiſſaque corpore toto.*

Catullus.

Neque ego ab indignis præmia nulla peto.

Notandum, quod nomina *tale*, & *aliud* non ineptè tunc præponantur, cùm ſubſequatur, *nihil, nemo, quidquam nullus, ullus* etiam in diverſis caſibus; ut, *tale nihil de amico nunquam putaſſem; alium ne[...] dit; tale quidquam, quis viderit?* C[...] ep.3. *His verò temporibus habemus*

hil in quo acquiescamus. Et 2. Catil. *Neque verò isti alia ratione ulla salvi esse possunt*. Item. 5. Tuscul. *Humanus autem animus, cum nullo alio, nisi cum ipso Deo, comparari potest*.

XXX. Comparativum in principio orationis non inusitatè ponitur. Cic. pro Cluent. *Promptiores esse debemus ad nostra pericula, quàm ad communia*, & 2. Offic. *Propensior benignitas esse debebit in calamitosos, nisi forte erunt digni calamitate* Plautus Epid. act. 3. 2.

Versutior es, quàm rota figularis.

Lucan. lib. 9.

Lætius est, quoties magno sibi constat honestum.

Id. lib. 5.

Tutior interea populis, & tutior omni
Rege late &c.

XXXI. Etiam in fine Orationis positum multum habebit elegantiæ. Cic. 2. off. *A quo expeditior, & celerior remuneratio fortè videtur, in eum ferè est voluptas nostra propensior*. Et 1. de Nat. *Nihil est enim beneficentia præstantius*. Et 3. Tusc. *Non est dubium, quin omnia, quæ mala putentur, sint improvisa graviora*. Horat. l. 3. od. 6.

Ætas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Et lib. 3. od. 1.

Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

XXXII. Illud quoque Oratoribus usi- ; ut, cùm familiari sermone ad- *multùm*, aut *valde* cum positivo -tur, tunc comparativo utantur. Cic.

Cic. de Senect. *Senectus est natura loquacior*: vulgò, *multùm loquax*. Idem de Orat. *Quamquam hoc videbitur fortasse cuiqam durius; tamen audeamus imitari Stoicos.* Valer. Max. *Bonæ mentis usurpatio nullum tristioris fortunæ recidit incursum*.

XXXIII. Adjectiva superlativa, suis substantivis optimè postponuntur; ut, *honoribus amplissimis*. Ex Causs. loco laudato. Cic. Catil. 3. *Quæ Religio C. Mario viro amplissimo non fuerat*. Et 2. Philip. *Intercessoris iniquissimi beneficio obtinuit*. Lib. quoque 1. epist. 8. *Cùm & honoribus amplissimis, & laboribus maximis perfuncti essemus*. Virg. 2. Æn.

Series longissima rerum
Per tot ducta viros.

XXXIV. Superlativum in orationis fronte positum, canorum est; ut, *optima quidem virtus*. Cic. 13. Fam. 44. *Gratissimum mihi feceris, si intellexero, hanc commendationem magnum apud te pondus habuisse*. Id. 1. off. *Optima hæreditas à Parentibus traditur liberis, omnique patrimonio præstantior, gloria virtutis, rerumque gestarum*. Et de Republ. *Plurima beneficia continet patria &c.* Horat. l. 1. Sat. 3.

Maxima pars hominum morbo jactatur eodem.

Catull. c. 50. ad Ciceronem.

Dissertissime Romuli Nepotum,
Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli &c.

XXXV. Etiam orationis finem superlativus obtinebit. Ex Silvio Cent. 1. c. 32. Sallustius in Jugurtham. *Jugurtha hominum, quos terra sustinet, sceleratissimus*.

Cic. pro Dejot. *Profectò ita est, ut id habendum sit antiquissimum, & Deo proximum, quod sit optimum.* Id. ib. *Hæc vobis leviora videntur, quæ sunt gravissima.*

XXXVI. Et hoc usitatissimum, superlativi substantivum in patrio pluralis numeri casu collocare: ut, *Amicorum integerrimus, Imperatorum fortissimus*: vulgus enim diceret *Amicus integerrimus, fortissimus Imperator.* Ex Voss. lib. de Construct. Cic. 4. Ac. *Nisi idem placet gravissimo Stoicorum Panætio.* Et 5. Tusc. *Xenocratem illum gravissimum Philosophorum.* Plin. l. 33. c. 1. *Credo, quoniam ita exterorum bonoratissimi intelligebantur.* Gellius, cui hic dicendi modus proprius est: *Protagoras insincerus quidem Philosophus, sed acerrimus Sophistarum fuit.* Et alibi passim. Verùm ne superlativis tantùm, sed etiam comparativis Canon communis est. Sic legimus apud Quintilianum: *Plures eruditiorum.* *Animalium fortiora* apud Plinium, & alibi *Callaidum pulchriores.* Quandoque etiam Positivis. Sic Plin. l. 8. c. 38. *Nigræ lanarum nullum colorem bibunt.* Et Gell. *Nos neque solœcismum, neque barbarismum apud Græcorum idoneos adhuc invenimus.* Quæ loca omnia suppleri debent hac voce *è numero, de numero*: ut *apud Scriptores idoneos, ex numero Græcorum Scriptorum.*

XXXVI. Pro capitis coronide aliqua hîc breviter, indiscriminatimque, de substantivis, ac adjectivis Nominibus adnotanda sunt, quæ, licèt primariò eorum collocationem non spectent; ad venusta-

tem

tem tamen, elegantiamque sermonis non parum conducunt. idcirco à nobis nullatenus prætermittenda; potissimùm, cùm & vir insignis, ac de Oratoriâ facultate optimè meritus Franciscus Silvius, nonnulla ex his Centuriis suis hinc inde inseruerit. Igitur

1. Contrarii significatûs vocabula prope se erunt collocanda: ut, *doctis indocti jure postponuntur; amicis inimici semper detrahere consuescunt*. Sallust. in Cat. *Necessitudo etiam timidos fortes facit*.

2. Genitvus *gentium*, & *loci* ornatûs causâ, potiùs quàm sensûs orationi non rarò adjungitur; quemadmodum verbis, *voce, via, tempore*, detrahi solet à vocabulis *paucis, multis, pluribus, clara, recta, brevi*: ut, *quando gentium ad nos redibis? ubinam loci sumus? paucis me expedio; recta venias; brevi una conveniemus*. Cic. de perfecto Or. *Complectar brevi, disseram pluribus*. Et 1. de Nat. *Ubicumque erit gentium à nobis diligetur*.

3. Sermone eodem, quando duo dicimus, aut duo correspondentia adjungimus, servetur hic ordo, ut priori prius, posteriori posteriùs respondeat. ut *gratia crescit peragendis optimis operibus, & decrescit negligentia*. Cic. 1. Off. *Quæ pertinent ad veritatem, & ad fidem, ea negare interdum, & non servare fit justum*.

4. Vocabula, quæ licèt contraria non sint de eo tamen dici non possunt, juxta ponantur: ut, *uxorem marito parere, servum domino, filium parenti divinitùs mandatum est*. Quintil. *Ex judicio preceptoris discipulus pendeat*.

5. Collectiva nomina: ut *omnis, populus, civitas, pars, manus, &c.* vel partitiva: ut, *quisque, uterque, aliquis, neuter,* & similia, carmine, & prosâ oratione adjectivis, verbisque, in multitudinis numero solent adjungi: ut, *Amicorum quisque jucundi sunt. Perniciosa hominum manus è medio tollendæ sunt &c.* Gell. 1. c. 23. *Ad senatum postera die matrum familias caterva lacrymantes atque obsecrantes orant.* Plura exempla habes apud Voss. lib. de Constr. c. 3. Nisielum Volum. 3. Proginas. 98.

6. Quædam librorum, disciplinarumque nomina elegantiùs plurali numero, & neutro genere efferuntur: Sic dicas: *Rhetorica publicè enarravi. Musicis operam dedit. Ut habemus Rhetoricorum quinto &c.* Cic. 5. Tusc. *Musicorum verò perstudiosum accepimus.* Gellius. *Ne Virgilii quidem poterit auctoritate uti, qui in Georgicis ita scripsit.* Porrò hoc dicendi genus à Græcis acceptum, illud Arriani argumento est: Οὕτως Ἑλλανικὸς λέγει ἐν τοῖς αἰγυπτιακοῖς. *Sic Hellanicus dicit in Ægyptianis.*

7. Et hoc adjiciam, quosdam evincere, nomina in *a* exeuntia inclinamenti tertii dativum, & ablativum pluralis numeri in *atis* potiùs quàm *atibus*, finienda esse. Sic *poëmatis, emblematis, dogmatis &c.* non *poëmatibus, emblematibus &c.* Præceptum firmat auctoritas Prisciani lib. 7. ubi hæc habet: *In hujusmodi nominibus, idest neutris in a finitis, quæ sunt Græca, frequenter invenimus dativum antiquos, & ablativum plurales in is productam proferentes.* Huic

sub-

ſubſcribit Voſſius l.2. de Analog. cap. 15. ubi multa congerit exempla ex Cicerone, Floro, Gellio &c.

8. Vulgari ſermone cùm loci nomen ponitur, ejus loco nomen gentis eleganter ſubſtituimus; contrà quando vulgò nomen gentis, ibi loci nomen reponatur. *Ad Italos profectus eſt.* vulgus *Italiam* diceret. *Anglia tyrannidis patiens non eſt.* vulgus, *Angli tyrannidis patientes non ſunt.* Cic. in Verr. *Sicilia tota, ſi una voce loqueretur hoc diceret.* Verùm de his fuſiùs parte 3. cap. 7. ubi de Hypallage ſeu Metonymiâ figurâ, ſermo habebitur.

9. Nomen *Viri* in laudem ſemper, *hominis* in vituperationem, & laudem cadit. Idcirco plus ad laudem hominis cujuſpiam accedet, ſi eum dixerimus v. g. *Summæ conſtantiæ virum,* quàm ſi, *ſummæ conſtantiæ hominem.* Sic Tullius l. 4. epiſt. 8. *Neque monere te audeo præſtanti prudentia virum.*

10. Poſt Adjectiva, *dignum, promptum, idoneum,* elegantiùs ponas finitum verbum, cum pronomine *qui, quæ, quod,* vel *ut* particulâ: ut, *Dignus es qui lauderis. Idoneum te puto, ut in Imperatorem eligaris.* Cic. 3. de Leg. *Qui modeſtè paret, videtur qui aliquando imperet, dignus eſſe.* Alia quoque hoc genus Adjectiva, quæ cum Infinito, aut ſupino conſtruuntur; ut ſunt, *egregius, juſtus, honeſtus, paratus &c.* eodem pacto efferri poterunt.

De Promominum Collocatione. Cap. III.

I. Quid Pronomen, ejusque significationes, habuistis in Grammaticis. Primùm itaque Adjectivo Pronomini, substantivum suum præponatur: ut *honor meus, decus illud &c.* Cic. l. 1. epist. 9. *Perjucundæ mihi fuerunt literæ tuæ.* Quintil. *Etiam si ætatem nostram, non spatio senectutis, sed tempore adolescentiæ metiamur, abundè multos ad discendum annos habent.*

Ovid. Metam. lib. 10.

Cinnamaque, costumque suam, sudataq; ligno
Thura ferat.

Verùm Poëtis hoc perpetuum non fuit; imò è contra sæpiùs Adjectivum pronomen, substantivo suo pr ponere solent; ut multis exemplis, quæ occurrent legenti, innotescet. Nam eopse libro Ovidius dixit vers. 442 *mea alumna* &c. *duxit sua præmia victor.* Et alia sexcenta. Imò & Oratores lege hac, se nimiùm obstringi, passi minimè sunt; ut pluribus ostendit Silvius Prog. 1. c. 10.

II. Inter substantivum, Adjectivumque, Pronomini Adjectivo locus erit, & quidem eleganter: ut: *Egregia tua virtus. Dubius quidam sermo.* Cic. 4. Tusc. *Novo quodam amore, veterem amorem, tamquam clavo clavum ejiciendum putant.* Et 1. Off. *Leviora sunt ea, quæ repentino aliquo motu accidunt; quàm ea, quæ meditata, quæ præparata inferuntur.*

Siquid insuper inter pronominale Adje-

Adjectivum, & substantivum posueris, quod cum utroque, aut cum altero conveniat, non parum nitoris sermoni accedet: ut, *magna tui in omnes liberalitas. Incredibile quoddam Adolescentis ingenium.* Cic. 7. fam. 6. *In omnibus meis epistolis, quas ad Cæsarem, aut ad Balbum mitto, legitima quædam est accessio commendationis tuæ.*

III. Pronomina Primitiva, nomini, verbo infinito, & participio eleganter postponuntur. Ex P. Carolo pag. 294. Cic. 1. Tuscul. *Tempus est,* inquit, *jam hinc abire me, ut moriar; vos ut vitam agatis.* Et 3. *Si eorum plaga percussi afflictos se, & stratos esse patiantur.* Id. 1. de Orat. *Cogitanti mihi, ac memoria vetera repetenti &c.* Terent. *Egon? qui ab orco mortuum me reducem in lucem feceris.*

IV. Pronomina Primitiva, *mihi, tibi,* interdum gratiæ tantùm causâ adduntur in oratione. Cic. in Pis. *Hic mihi etiam gloriabitur, se omnes honores sine repulsa obtinuisse.* Et 3. Off. *Ecce tibi, qui Rex. Pop. Rom. esse concupierit.* Et 3. Acad. *Ecce tibi ex adverso Lampsacenus Strato.*

V. Pronomina Possessiva *meus, tuus, noster, vester,* pronominibus primitivis eleganter postponuntur. Cic. l. 2. ep. 2. *Gravi teste privatus sum amoris summi erga te mei.* Id. pro Plan. *Sunt enim testes, & erunt, sempiterni meritorum erga me tuorum.* Hoc tamen dicendi genus apud veteres rarum invenio, ita ut vix alia proferre possim testimonia. Recentioribus tamen, ac præsertim Politiano, usitatissimum fuit.

VI. Eadem Possessiva Pronomina venustè concordata ponuntur cum nomine rei, loco Pronominum Primitivorum *mei, tui, sui*, quæ juxta vulgarem sermonem, vulgus concordat cum nomine notante personam. Quare elegantiùs dixeris: *Cæsar suo unius labore Britannos superare meditabatur*, quàm: *Cæsar labore sui unius &c.* Cic. pro Sest. potiùs dixit, *Non admirer quod meam legem contempseris hominis inimici*, quàm: *quod contempseris legem mei hominis inimici*. Id. pro Mur. *Ex tuo ipsius animo conjecturam feceris*. Et in Pis. *Juravi hanc Urbem mea unius opera esse salvam*.

VII. Observatum est, Politianum non modò, verùm & veteres præcipui nominis Scriptores, pronomen derivatum, tum solùm usurpasse, cùm sermone domestico cum eo adjungeretur nomen *amicus, familiaris, socius, comes, discipulus*, aut simile. Ut: *Horatius meus proficit. Libanius tuus venerationi se dedit*. Vulgò enim quis diceret: *Horatius amicus meus; Libanius præceptor tuus*. Cic. 6. fam. 18. *Me Romæ tenuit omnino Tulliæ meæ partus*. Id. *Omnes bonos interitu suorum quàm gravissimè mœrere oportere*.

VIII. Plura Pronomina sine ullo medio posita, sive primitiva sint, sive derivata omnia, orationem venustiorem reddunt; ut: *Tu tibi ipse vivis. Venio à Patre tuo; is se tibi commendat*. Cic. Fam. 33. 37. *Promitto tibi, te ex ejus amicitia magnam voluptatem esse capturum*. Ibid. *Mihi, tu, tui, tua omnia maximæ curæ sunt, & dum vivam, erunt*.

IX.

IX. Pronomen Relativum, suo antecedenti interdum non sine venustate præponitur, ut: *Quas ad me misisti literas.* Cic. pro Arch. *Quare, quorum ingeniis hæc feruntur, ab iis populi Rom. fama celebratur.* Id. ibid. *Quare in qua Urbe Imperatores propè armati Poëtarum nomen, & Musarum delubra coluerunt; in ea non debent togati Judices à Musarum honore, & à Poëtarum salute abhorrere.* Item Tusc. I. 1. *Quam quisque norit artem, in hac se exerceat.* Ovid. Trist. lib. 5. Eleg. 7.

Quam legis, ex illa tibi venit epistola terra.

Martial. l. 6. epig. 25. In raucum Poëtam.

Qui recitat lana fauces, & colla revinctus,
Hic se posse loqui, posse tacere negat.

Idest; negat, se posse loqui, & posse tacere, cùm sit raucus, & tamen recitare velit. Plautus.

Quod mihi prædicas vitium, id tibi est.

Genitivi *cujus*, & *quorum*, Præpositioni, vel substantivo Nomini aptè præponuntur. *Multi alii adventant, quorum paupertas obscurat nomina.* Cic. de Orat. Perf. *Cujus ex epistolis intelligi licet, quàm frequens fuerit Platonis auditor.* Virg. 11. Æn. *Cujus ob auspicium infaustum, moresq; sinistros.*

X. Sed hunc etiam Canona ad elegantiam sermonis adjiciamus. Cùm sermone domestico utimur particulâ *secundùm* cum pronomine derivativo, & substantivo nomine; tunc pro particulâ Relativum, *qui, quæ, quod* usurpabimus: v. g. *propugnaculum hoc, quæ tua virtus est, ita evertisti &c.* dixisset vulgus: *propugnaculum hoc, secundùm tuam virtutem, ita evertisti &c.*

E 5 Cic.

Cic. 7. fam. 2. *Si mihi permisisses (qui meus amor in te est) confecissem cum cohæredibus.* Id. ib. 13. *Moriar, ni (quæ tua gloria est) puto, te malle à Cæsare consuli, quàm inaurari.* Quintil. *Si potuisset redimere oculos matris (qua pietate fuit) vicarios suos dedisset.* Ex latis exemplis colliges, Parenthesin per qui, quæ, quod tripliciter, atque eleganter effici posse; ipso scilicet nomine posito, vel casu primo, vel secundo, vel sexto; quibus iisdem casibus variatur Parenthesis, per *is, ea, id,* pro *tali*: ut: *Neminem dari posse crediderim, Livi studiosissime, qui te (ea est modestia tua) vel (ejus es modestiæ) vel (ea es modestia) summis non prosequatur encomiis.*

XI. *Qui* ablativum pro *quo*, aut *quomodo*, non iniustè dixeris: ut: *qui vales? qui scis mihi tempus non defuisse?* Quintil. *Dubiis probari dubia qui possunt?* Cic. 2. fin. *Qui igitur convenit ab alia voluptate dicere naturam proficisci, in alia &c.* Id. de Senect. *Qui cum amantissimè, & conjunctissimè vivebat.* Teren.

Qui ille poterit esse in tuto? i. *quomodo.* Idem.

Ille olim habuit ignem, qui signum daret. i. *quo.*

XII. Pro Capitis coronide, quædam notanda sunt, secundariò ad collocationem, potissimùm verò ad elegantiam sermonis spectantia.

1. Quod Pronomen *is, ea, id,* usitatè dicitur pro relativo, *qui, quæ, quod*: *Nuper tuas accepi litteras; iis profectò supra fidem delectatus sum;* pro *quibus.* Cic. 9. fam. 22. *Socratem fidibus docuit nobilissimus fidi-*

fidicen: is Conus vocatus est. i. qui.

2. Testatum reliquit Silvius usitatè dici *id quod*, pro vulgari illo *quæ res*, *quod est*: ut: *Immeritis honos, id quod a Tullio damnatum, quandoque rependitur.* pro, *quæ res à Tullio &c.* Cic. 2. Orat. *At si nos, id quod maximè debet, nostra Patria delectat &c.*

3. Cùm rem priùs dictam innuere intendimus, pronomen *illud* usurpabimus; si quid ad posteriorem referri volumus, pronomine *hoc* utemur: ut: *Literis magis, quàm otio opera danda; hoc animum corrumpimus, illis excolimus.* Cic. 2. de Orat. *Cùm duo sint genera facetiarum, alterum æquabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum, & breve: illa à veteribus superior cavillatio, hæc altera dicacitas nominata est.*

4. Primitivum Pronomen *Ipse*, sæpissimè, atque admodùm venustè postponitur ab Auctoribus primæ notæ pronominibus *mihi*, vel *me*, *sibi*, vel *se &c.* Cic. I. 1. fam. 1. *Mihi ipse nunquam satisfacio.* Et de Senect. *Me ipse consolabar, existimans &c.*

De Collocatione, quae est in Verbis stricte sumptis.

Cap. IV.

I. VErbum finitum post infinitum ferè usurpantur. ut: *Si die, noctèque literis operam darem, meliores fortasse hujus ævi æquare possem Scriptores.* Cic. 1. Off. *Illud autem optimum est, in quo me invadi solere ab improbis, & invidiis audio.* Item in Paradox. *Mors terribilis est iis, quorum cum vita omnia extinguuntur; non iis, quorum*

 laus

laus emori non potest. Virg. 6. Æn.

Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum &c.

Omnia pœnarum percurrere nomina possem.

Seneca Oedip. Act. 3. v. 70. 3.

Odia qui nimiùm timet

Regnare nescit.

Verùm hæc lex postponendi infinito finitum verbum, non ita perpetua fuit Oratoribus, ut quandoque ab eâ non declinaverint, ut auribus inservirent. Sanè Poëtis hac in parte nulla lex, ut observo; cùm aliis metri legibus inservire teneantur. Exempla non profero; erunt enim legenti passim obvia.

II. Verbum finitum polysyllabum aptè aperit, & vicissim claudit periodum. Aperit, ut in hoc Tull. 1. Off. *Expetuntur autem divitiæ, tum ad usus vitæ necessarios, tum ad perfruendas voluptates.* Ib. *Delectant enim magnifici apparatus, vitæque cultus cum elegantia, & copia.* Claudit periodum, ut: Cic. 1. Att. 14. *Vera quidem laude probitatis, neque me tibi, neque quemquam antepono.* Et 16. fam. 8. *Imitatio virtutis æmulatio dicitur.* Horat. l. 1. od. 21.

Narratur prisci Catonis

Sæpe mero caluisse virtus.

Propert. *Nec citò desisto, nec temere incipio.*

III. Verba primaria locantur in fine periodi. Cic. 3. Offic. *Illud quidem natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes, augeamus.* Et epist. 5. l. 1. *Id enim & vetustas nostri amoris, & mea consuetudo in meos, & tua multa erga me officia postularint.*

IV. Cùm

IV. Cùm Gerundio utimur, sive Gerundivo, sæpiùs illud initio periodi collocare solemus; ut: *Invisendæ matris gratia huc veni.* Cic. 1. Off. *Expetenda quidem magis decet nendi ratio, quàm decertandi fortitudo.* Et 3. *Tollendum est igitur in rebus contrahendis omne mendacium.* Et ad Att. *Plorando defessus sum.* Ovid. 3. de Pon. el. 7.

Curando fieri quædam majora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.

Plautus Capt. 4. 1.

Nominandi tibi istorum magis erit, quàm edundi copia.

Attamen non initio tantùm periodi, verùm & in fine optimè sedent, præsertim si quandam necessitatem significent. ut: *Leviora Typographorum menda, quidam putarunt toleranda.* Cic. 1. Offic. *Ornanda est dignitas domo, non ex domo dignitas tota quærenda.* Id. ib. *Meminerimus autem, & adversus infimos justitiam esse servandam.* Et alibi. *Breve tempus ætatis, satis longum ad bene, honesteque vivendum.* Virg. 11. Æn. *Pacem Trojano à Rege petendum.*

V. De Verborum Collocatione, generale quoddam præceptum scriptis mandavit P. Carolus p. 394. Ea scilicet Nominibus postponenda plurimùm esse; quo pacto fiet, ut elegantiorem efforment orationem, magisque à vulgi consuetudine recedentem: is nominibus verba præponere communiter solet. Exempla non est cur afferamus; cùm se se passim offerant.

VI. Verbum *Sum* variè in periodo collocatur; itaut omnes illi sedes competere videantur. Et quidem primò concinnè

in principio orationis. Cic. 3. Tuscul. *Est profectò animi medicina Philosophia.* Et 1. Off. *Sunt autem multi cupidi splendoris, & gloriæ; qui eripiunt ab aliis, quod aliis largiantur.* Virg. Æn. l. 1. v. 72.

Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ

Propert.

Sunt apud infernos tot millia formosarum.

Secundò ponitur eleganter in orationis fine, præsertim si post nomen adjectivum, sivè positivum sit, sivè comparativum, aut superlativum. Cic. 2. Tusc. *Nullum theatrum virtuti conscientia majus est.* Et de Senect. *Conscientia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio, jucundissima est.* Senec. Theb.

In servitutem cadere de Regno, grave est.

Lucan. 5. *Quidquid multis peccatur*
Inultum est.

Item si præcesserit substantivum nomen, optimè claudet substantivum Verbum. Cic. 1. Off. *Ineuntis ætatis inscitia, senum constituenda, & regenda prudentia est.* Tacit. 4. Annal. *Arduum semper eodem loci potentiam, & concordiam esse.* Senec. Oedip.

Iners malorum remedium ignorantia est.

Id Agam.

Capienda rebus in malis præceps via est.

Tertiò in orationis medio ante substantivum, Adjectiuumque cujuscumque sit gradus facilè reperitur. Cic. 2. de Orat. *Tardi ingenii est rivulos consectari.* F. 6. fam. 4. *De futuris rebus, & si semper difficile est dicere, tamen &c.* Id 2. de Div. *Ignora-*
tio

tio futurorum malorum, utilior est, quàm scientia. Catil. apud Sall. *Semper in prœliis maximum est periculum &c.* Tibull.

Non tua majorum contenta est gloria fama.

Ovidius epist. 1. 3.

Res est solliciti plena timoris amor.

Plaut. Epid. 3. 2.

Versutior es, quàm rota figularis.

Quartò observatum est, verbum *sum* rectiùs postponi vocabulis *nemo, nihil, nullus*, quàm præponi. Cic. 3. Off. *nulla est enim nobis cum tyrannis societas.* Et 1. de Orat. *Oratio, aut nulla sit necesse est, aut omnium irrisione laudatur.* Et 1. Tusc. *Nemo omnium tam est immanis, qui &c.* Horat.

Nihil est ab omni parte beatum Terent.

Nulla est tam facilis res, quin difficilis fiet, cùm invitus facis.

Propert. Eleg. l. 2. v. 1271.

Expertus dico: nemo est in amore fidelis.

Ultimò tandem notandum, Ciceroni frequentissimum esse periodum claudere his verbis, *Esse videatur.* quâ orationis clausulâ, quæ gravitatem mirum in modum præsefert, uti quandòque poterimus; non tamen in cujuscumque periodi calce, illorum in morem, quos irridet Quintilianus; qui se Tullium expressisse dictitabant, ubi in clausulâ posuissent *esse videatur.*

VII. Addam, & Græcanicam quamdam constructionem, à Latinis præsertim Poëtis, receptam; cùm scilicet verbum aliquod motum ad locum exprimens, jungitur infinitivo. Plaut. Bacch. 4. 3.

Parasitus modo venerat aurum petere.

Virg. 1. Æn.

Non

Non nos aut ferro Libycos populare penates.
Venimus; aut raptas ad littora vertere prædas.
Quandoque etiam junguntur & verba motum non connotantia. Cic. l. 1. ad Lent. ep. 1. *De Regia causa tantum habeo polliceri.* Svet. in Aug. *Quid habeo aliud Deos immortales precari, quam &c.* Horatius quoque. *Amat dici; gaudet aspici; annuit capi &c.*

Insuper verba *admirandi, amandi, privandi, consequendi, participandi, aberrandi, incipiendi, dominandi, abstinendi &c.* Latini, Græcorum more, jungunt Genitivo. Græcum enim est dicere. Τμῶν θαυμάζω cùm Xenoph. *miror vestri;* Κυάμων ἀπέχεσθαι *abstinere fabarum* cum Pythag. &c. Gellius lib. 9. c. 13. *Manu significare cœpit, ut quiescerent pugnæ.* Apulejus in Apologiâ: *Et abstinens nominum &c.* Virg. 11. Æneid.
Justitiæ ne priùs mirer, bellive laborum?
Horat. l. 2. od. 9.
Desine mollium; Tandem querelarum.
Et lib. 3. od. 27. *Abstineto,*
Dixit irarum, calidæque rixæ.
Porrò de aliis Hellenismis verba spectantibus, consulantur Grammatici, Vossius, Despauterius &c. nonnulla nobis ad elegantiam magis conducentia, indicasse sufficiat.

VIII. Notat Ferettus, Infinitivum modum in fine clausulæ raro admodùm ponendum; ante verbum verò sæpius; ut: *virtutem tibi semper placuisse, intellexi*: non tamen dicendum: *intellexi virtutem tibi semper placuisse.* Præterea advertit, subjunctivum modum pro indicativo, ornatiùs

natiùs cadere; ut *velim* pro *volo; gratum feceris*, pro *facies*. In oratione, quâ fabula, aliave narratio exponitur; vice temporis præteriti, Indicativi præsentem usurpabimus. Sic Cic. 3. Off. *Invitat Cannius postera die familiares suos; venit ipse maturè. Scalmum nullum videt, quærit ex proximo vicino &c.* Interdum quoque ponuntur verba, tempore præterito perfecto modi Indicativi, loco temporis Imperfecti ejusdem modi. Cic. 14. ad Att. 9. *Mori millies præstitit, quam hoc pati*, ideſt, *præstabat*. Et de Senect. *Cujus à me corpus crematum est, quod contra decuit*, pro *decebat*. Quandoque etiam, vice futuri modi Conjunctivi, Indicativi præteritum perfectum eleganter frequentatur. Cic. 3. in Verr. *Unum ostende in tabulis, aut tuis, aut patris tui emptum, & vicisti*, pro *viceris*. Quintil. *Dimitte tantùm, & evocasti*, ideſt, *evocaveris*.

IX. Alia nonnulla præcepta ad venustam verborum in oratione immutationem tradunt Silvius, & P. Carolus locis toties laudatis, & quæ hîc inserere non longè ab instituto nostro visum fuit. Itaque

1. Verba temporis præteriti perfecti Modi Indicativi, aliaque, cujuscumque temporis, & modi illa sint, eleganter usurpantur terminata potius in RE, quàm in RUNT, vel RIS. Sic Sallust. initio hist. de conjurat. Catil. *Huic ab adolescentia, bella intestina, cædes, rapinæ, discordia civilis, grata fuere.* Et infrà: *Urbem Romam, sicut ego accepi, condidere, atque habuere initio Trojani.*

2. Ver-

2. Verba ponuntur interdum eleganter præsenti tempore modi Conjunctivi, vice temporis imperfecti ejusdem modi. Cic. Ep. 4. l. 1. famil. *Qui si vitam pro tua dignitate profundam, nullam partem videar tuorum meritorum assecutus*; idest *si profonderem, viderer*. Poëtis similiter hoc frequentissimum est. Exempla brevitatis ergò relinquo.

3. Nec minorem ornatum præsefert oratio, cùm loco temporis præteriti imperfecti, aut plusquàm perfecti modi Conjunctivi, utimur præterito perfecto ejusdem modi; ut: *hoc tenuit Origenes; verùm ego non ita docuerim*. i. *non ita docerem*, seu *non ita docuissem*. Cic. 1. Tuscul. *Ego ipse cum eodem ipso non invitus erraverim*. Et 1. de leg. *Ego verò libenter audierim*.

4. Præteritum modi Infinitivi tempus à Poëtis communiter, pro præsente ejusdem modi effertur. Virg. 6. Æn.

Extremos pudeat redjisse. i. *redire*.

Propert. l. 2. eleg. 16.

Non potuit saxo vitam posuisse Cerauno.

Et Martial. l. 1. epig. 130.

Condere victuras tentem per sæcula curas
Et nomen flammis eripuisse meum.

5. Verba per Eclipsin Grammaticalem figuram aptè interdùm supprimuntur in Orationis decursu; verùm ne id sæpius fiat necesse est (de quo reprehenditur Sallustius) neue principale verbum erit, cujus defectu manca reddatur periodus; sed tale, quod facilè intelligi possit; utì verbum *cœpit*, *puto*, aut simile. Sallust. *Invidia ex opulentia nascitur. Igitur Reges*, *popu-*

populique finitimi bello tentare; pauci ex amicis auxilio esse. intellige, *cœperunt.* Horat. Satyr. 8. l. 1.
At illæ currere in Urbem. intel. *cœperunt.*
Sed de hisce, similibusque loquendi formulis alibi fortasse fusiùs sermo erit.

6. Verbum tandem cohærebit ornatiùs cum viciniore recto in numero, & in personâ, quotiescumque diversa nomina, vel pronomina pluralis, aut singularis numeri connectuntur; ut: *hic illius arma, hic currus fuit*: Item: *sunt nobis mitia poma, castaneæ molles, & pressi copia lactis.* Eadem est in diversis generibus observatio; ut magis vicino, sive masculinum sit, sive fœmininum, respondeamus. ut: *vir, & mulier magna ad me venit*; nam si plurali numero uti velimus, ad masculinum transeamus, necesse est, ut: *vir, & mulier magni ad me venerunt.*

7. Loco Imperativi, venustè usurpamus præsens conjunctivi tempus; ut: *valeas, valeatis*, pro *vale, valete*. Quandoque etiam futurum Indicativi, & in quibusdam subjunctivi, ut: *valebis, valebitis, memineris, memineritis*, pro *memento, mementote.* Cic. 15. fam. 8. *Valebis igitur, meque &c.* Et 15. ad Att. 25. *Varroni memineris excusare tarditatem literarum mearum.* Columell. l. 12. c. 36. *Id mixtum conjicies in amphoram novam, & implebis ad summum; tum adjicies ramos roris marini &c.* Terent. Eun. act. 2. 3.
Si certum est facere, facias.
Priscianus in 18., docet Græcos pro Imperativo Infinitivum adhibere solitos per Eclipsin figuram. 8. Pau-

8. Paulus Manutius in explanatione ep. 9. famil. monet, nec Ciceronem, nec Terentium, nec omninò quemquam Reipublicæ temporibus verbum *Inquam* usurpavisse, nisi aliquod verbum præfuisset: *quod non attigissem*, inquit, *nisi peccare in hoc sæpè non obscuri nominis homines animadverterem.* Cic. 7. in Verr. *Crux, crux, inquam misero comparabitur.* Et 2. off. *Utinam*, inquit, *C. Pontius Samnis &c.* Id. ep. 18. l. 15. fam. *Ubi igitur, inquies, Philosophia tua?* Et alibi pluries.

De Participiorum, Praepositionumque Collocatione.

Cap. V.

I. Quoniam quæ de Nominibus dicta superiùs sunt, magnâ ex parte Participiorum quoque Collocatione congruere possunt, idcirco minùs nobis hîc immorandum superest; cùm actum agere nullo modo velimus; sed tantùm quæ omissa sunt indicare. Primùm itaque Participium futuri in RUS aliquando in principio, & quandoque in fine ornatè collocabitur; ut: *non existimabam, te de hac re, ne verbum quiden esse dicturum. Futurum credideram, hostes Charidemum interempturos, si &c.* Cic. ad Curionem. *Tibi polliceor, te majoris animi, gravitatis, constantiæque, neminem esse habiturum.* Et de Orat. *Hæc ingressio mea aut reprehensionis aliquid, aut certè admirationis habitura est.* Ovid.

Emendaturus, si licuisset, eram.

II. Par-

II. Participia in TUS desinentia eleganter à Poëtis usurpantur cum Accusativo, præpositione *circum* suppressâ. Plurimùm autem Accusativus ille Partis est; ut liquidò in sequentibus exemplis apparebit. Virg. 3. Æn.

Vittis, & sacra redimitus tempora lauro.

Ovid. 6. fast.

Bacche, racemiferos hedera redimite capillos.

Horat. l. 1. od. 7. *Coronatus nitentes*

Malobathro Syrio capillos.

Et Propert. l. 4.

Puniceo canas stamine vincta comas.

Alii quoque Poëtæ passim, Græcorum vestigia sequuti: qui itidem supprimunt Prepositionem κατὰ, aut περὶ.

III. Eadem Participia in TUS ornatè vindicant sibi locum, ante verba, *cupio, curo, oportet, opus est, volo, nolo &c.* ut *detrimentum ullum tibi allatum, nolo.* Cic. 1. in Catil. *Hoc, quod jampridem factum esse oportuit, certa de causa nondum adducor ut faciam.* Idem Parad. *Mihi quæsito opus est.* Plaut.

Sed etiam est, paucis quod vos monitos voluerim.

Et Terent.

Adolescenti morem gestum oportuit.

IV. Participia in DUS desinentia ponuntur aptè vice Conjunctivi, cum verbo *curo*, more Ciceronis, cui hoc frequentissimum; ut: *Literas ad te mittendas curavi.* Cic. 4. Fã. 2. *Funus ei satis amplum faciendum curavi* Et 8. ad Att. 5. *Eò ad te scripsi; ut epistolam mihi referendam curares.* Præterea optimè semper sedebit hujusmodi Participium ante verba modi finiti. Cic. Verr. 5. *Ornatiores,*

tiores, tuo judicio, ad testimonia dicenda venerunt: Et pro Cæcinna: *Cum ad vim faciendam veniretur*. Tibull. l. 1. el. 2.

Cum fletu nox vigilanda venit.

V. Venio ad Præpositiones, de quarum Collocatione varius inter Poëtas, Oratoresque mos, quibuscum qui congrediatur, casui modò præpositas, modò postpositas inveniat. Cùm tamen de illis aliquid præcipiendum sit, dico, *tenus*, *usque*, & *versùs* semper casui, aut ferè semper postponendas; ut: *capulo tenus abdidit ensem*. *Romam usque pervenit*. *Mutinam versùs profugit*. Cic. pro Dejot. *Antiochus à Scipione devictus, Tauro tenus regnare jussus est*. Id 2. de Nat. *Aspera Arteria ad pulmones usque pertinet*. Et 11. fam. 27. *Cum Brundusium versùs ires ad Cæsarem*. Virg. 3. Georg.

Et crurum tenus à mento palearia pendent.

Terent. Adelph. 4. 5. *Miletum usqae*. Plaut.

Ego portum versus eam, & perquiram &c.

Dixi superiùs, laudatas præpositiones semper, aut ferè semper postponendas. De *tenus* certissimum est; nam eruditiores Grammatici contendunt Anastrophen futuram, si quandoque præposita reperietur. De *versùs*, & *usque* non ita perpetuum est quod postponantur; ut multis Scriptorum veterum testimoniis confirmatur; ubi semper præeunt casum. Cæterùm fortassis hujusce varietatis causa erit; quod re verâ præpositiones non sint (quod pluribus convincit Vossius l. 4. de Analogiâ c. 22.) & cùm à plurimi credantur, frequentiùs postponantur.

VI.

VI. In Carmine dissyllabæ Præpositiones sæpiùs postponuntur; ut ex infràponendis exemplis apparet. Virg. 1. Æn. *Carthago Italiam contrà*. Idem ibidem. *His accensa super &c.*

Plaut.

Omnia sunt bona, quem penès est virtus.

Terent.

Teipsum purgare ipsis coram, placabilius est.

Horat. lib. Epod. 11.

Ubi hæc severus te palàm laudaveram.

Virg. Æn. 4.

Te propter Libyæ gentes, Nomadumque tyranni.

Propert.

Me sinè, quem semper voluit fortuna jacere.

Virg. 1. Æn.

Errabant acti fatis maria omnia circùm.

Et alii alia quamplurima idgenus extulere, quæ ad satietatem usque proferre possem. Verùm, non Poëtarum modò est dissyllabas Præpositiones postponere; sed Historicorum simul, ac Oratorum. Legimus enim præsertim apud Tacitum *Danubium ultra. Rhenum juxta. Urbem extra. Præturam intra. Amnes inter. Quos super. Senatu coram &c.* Sallust. 1. Hist. *Quos inter maximè &c.* Et Tull. de Amic. *Quæ si quos inter amicitia, aut est, aut fuit &c.* Et de perf. Orat. *Consequeris tamen, ut eos ipsos, quos contra statuas, æquos, placatosque dimittas.* Et 4. Tusc. *Adhibent modum, quem ultra progredi non oporteat.*

III. Præpositio *cum* adornatum multoties postponitur Pronomini *qui, quæ, quod*; ut: *quo cum, quibuscum* pro *cum quo, cum quibus &c.* Cic. 2. off. *Maximeque curandum*

randum est, ut eos, quibuscum sermonem conferemus, & vereri, & diligere videamur. Id. ib. *Quid dulcius, quam habere quo cum omnia audias, sic loqui ut tecum?* Et 12. fam. *Nihil mihi tam deesse scito, quam qui cum hæc familiariter, docteque rideam.* Et alibi sæpiùs. Plaut.
En testis, ampliter quo cum venio.
Terent. *Essem una qui cum cupiebam.*
Idem. *Cogitato quo cum tibi res est.*

VII. Præpositiones unius tantùm syllabæ certam sedem non habent; sed modò præeunt, modò subsequuntur casum. Observa tamen, sæpissimè inter Adjectivum, & Substantivum, non sine ornatu mediare: ut: *multis de causis, summo in loco constitutus.* Cic. de Inv. *Nostra consuetudine multis de causis fit &c.* Et Catil. l. 1. *Quanta in voluptate bacchabere.* Virg. Æn. 3.
Dira bellum cum gente gerendum.
Et alibi.
Hectoreum ad tumulum. Diversa per æquora.
Nec solùm inter Adjectivum, & Substantivum optimè sedent; verum & inter Pronomen, & Substantivum; ut: *Suos ob amicos: nostris è sedibus: qua de re.* Cic. 3. Tuscul. *Quem spectabant; cujus ob os Graii ora obvertebant sua.* Plaut. Pœn. 1. 2.
AN. Nimia nos socordia hodie tenuit.
AD. Qua de re obsecro.

VIII. Si dentur duo Substantiva, quorum unum ad patrium casum sit deductum; huic Præpositio præponitur, ut: *de Fabii eloquentia. Ad palatii fores pertractus. Ob æris inopiam mendicare coactus.* Idem dicendum, cùm substantivi illius,
vices

vices gesserit Relativum Pronomen; ut: *ob cujus defectum. De illorum audacia nec verbum quidem faciam.* Cic. de Natur. *Homerus, qui recens ab illorum ætate fuit.* Et pro Sex. Rosc. *De amicorum scientia Roscius Romam confugit.* Et 3. fam. 4. *Ex illius sermone ad te scribam plura.* Id. pro S. Rosc. *Ex juris peritorum consilio, & auctoritate restipulari ab aliquo.*

IX. *Apud* casui semper, aut plurimùm præest. ut: *hoc habui apud te, cùm apud Sempronium moram facerem.* Cic. 8. Att. 20. *Cæsar apud Cornificium castra posuit.* Et 5. 17. *Si me amas, apud me cum tuis maneas.* Catull. carm. 13.

Cœnabis bene, mi Fabulle, apud me
Paucis, si tibi Di favent, diebus.

Terent. in And.

Apud forum modò de Davo audivi

X. Delectat etiam, si inter Præpositionem, & casum, quem ipsa postulat, vox aliqua interponatur. Cic. pro L. Manil. *Eorum qui se ex ejus Regno collegerant.* Pro Publ. Sext. *Fuerat ille annus in Reipubl. magno metu, & multorum timore.* Ibid. *At ille nefarius ex omnium sceleratorum colluvione natus &c.* Virg. 3. Æn.

In medios telum torsisti primus Achivos.

Idem 1. Æn.

Pygmalion scelere ante alios immanior omnes.

Martial. lib. 10. ep. 59.

Per veneranda mihi musarum sacra, per omnes
Juro Deos &c.

XI. Poëtæ ad elegantiam quandoque Præpositionem verbo adnexam, cum casu repetunt, ut: *accedo ad Urbem, de spe decidi*

di &c. Oratores etiam hanc dicendi formam non omnino aspernati sunt; nam apud Cic. l. 11. ep. 16. ad familiares, legimus: *Qui ad nos intempestivè adeunt.* Et de Orat. *Nihil non consideratum exibat ex ore.* Idem Tuscul. *Quomodo igitur jucunda vita potest esse, à qua absit prudentia, absit moderatio?* Sic *decedere de Provincia* in Ligar. Svet. in Cæs. & Fabius l. 4. *decessere de via.* Pro Balbo. *De sententia decedere.* 2. de Lege Agr. *De possessione decedere.* Ad Brutum: *Ab hoc parumper abeamus.* Et alibi sæpiùs. Plaut. *Vox mihi ad aures advolavit.*
Terent. *Et cura ex corde excessit.*
Id. eun. 5. 4. *Ne impunè in nos illuseris.*
Et alibi.
Haud multum abs me aberit infortunium.
Porrò in his, similibusve exemplis Pleonasmum esse, nemo non videt. Interdum quoque Poëtæ non geminant Præpositionem, sed supplent verbo Præpositione affecto. Sic Virg. Ecl. 9.
Sed argutos interstrepere anser olores.
Et Eclogâ 1.
Quamvis multa meis exiret victima septis.
Et 1. Æn.
Atque rotis summas levibus perlabitur undas.
Horat. 6. 1. od. 7. *Interrem*
Nuda Leones
Et alibi od. 2. l. 1. od. 5. l 4. od. 16. Epod.
Defuso pateris. Circumgemit ovile &c.

XI. Nonnulla etiam lubet adnotare, ad Præpositionum elegantiam, magis quàm locationem, facientia.

1. Præter tritas significationes præpositio *A*, vel *Ab* usurpatur pro *post*, ut *à*
pran-

prandio, à cæna. Cic. de Senect. *Cujus à morte jam tertius, & tricesimus est annus*, idest *post cujus mortem*. pro Cluen. *Ab illo tempore*. Et de orat. *Qui annus ei primus ab honorum perfunctione fuit*. Item pro *ante*, ut Cic. de clar. Orat: *Proximus à postremo*. i. *Ante postremum*. Pro *ultrò*. Id. de Orat. *Non ego hæc à me prompsi; de fortuito incidi in hunc sermonem*. Item per se; ut idem Cic. Ib. *A se aliquid facere*. i. *per se*. Interdum per cum declaratur, servitque tempori significando, ut: *A puero te novi*. i. *cùm adhuc esses puer*. Cic. 4. acad. quæst. *A puero audivi*. Ovid. de Pont. 1. 2. Eleg. 2. *Ille domus vestræ primis venerator ab annis*.

Italicè: Fino da fanciullo.

Interdum etiam ministerium per circuitionem designat, ut *à secretis*, *ab epistolis*. Cicer. ad Attic. *Pollucem servum à pedibus meum Romam misi*.Ità dicimus à *concionibus*, *à consiliis*, *à confessionibus &c. alia plura in Ciceronis Thesauro*. Sumitur etiam vice *pro*, ut Cic. in Brut. *Ut nemo contra Civium perditorum popularem, turbulentamque dementiam à Senatu, & à bonorum causa steterit constantiùs*.

Pro *quoad*, vel *quantum ad* Cic. ad Attic. lib. 7. ep. 14. *Sumus flagitiosè imparati cùm à militibus, tum à pecunia*. i. *quantum*, vel *quoad militias, & pecunias*. Pro intervallo, ut Cæs. lib. 2. Belli Gall. *Oportuno, atque occulto loco à millibus passuum circiter duobus Romanorum adventum expectabant*, pro *intervallo duorum millium passuum*.

2. *In* pro *Inter* non rarò effertur, præcipuè cum in familiari sermone exprime-

re intendimus *nel numero*, ut: *In tuis familiarem me, quæso, habeas*: vulgò enim quis diceret. *Inter tuos familiares &c.* Cic. 1. Off. 65. *Hic in magnis viris non est habendus*. i. *inter &c.* Pro S. Rosc. *Capito, qui in decem Legatis erat*. Et de Clar. *Fannius in mediocribus oratoribus habitus est*.

3. *Præ* ornatè quandoque stat pro *propter*. Cic. 1. Tusc. Id. 9. Att. 14. *Non hercle præ lacrymis possum reliqua scribere*.

4. *Pro* interdum *ante* significat. Cic. pro Mil. *Illa præsidia, quæ pro templis omnibus cernitis*. i. *ante templa omnia*. Id. 2 Phil. *Pro æde Jovis Statoris hasta posita*.

5. Præpositione *Ad* utimur eleganter ad indicandum alicujus officium. Cic. 3. de Orat. *Licinium servum sibi Gracchus habuit ad manum*. h. e. *Scribam*. Terent. in Andr. *Canes ad venandum*. pro *canibus venaticis*.

Virg. 9. Æn.

Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos.

Propert. l. 4. el. 9.

Lygdamus ad cyathos - i. pincerna.

Interdum quoque effertur dicta Præpositio, pro *juxta*, aut *secundùm*, ut Cic. 2. de Orat. *Ad Græcorum consuetudinem disputare*. Id. de Amic. *Omnia ad voluntatem loqui, & nihil ad veritatem*. i. *secundùm veritatem*.

6. Sed ne longiùs evagemur, ultimò tandem advertemus, quasdam præpositiones nominibus, verbisve præfixas augere significationem; ut: *infringo, incanus, incurvus &c. Perfidelis, perjurus &c Prædives, præpotens, prævalidus &c. Ad probè, adamo &c.*

&c. Exclamo, expostulo &c. h. e. *valdè frango, valdè fidelis, valdè dives, valdè amo, valdè postulo.* Quapropter Oratores, Historici, ac non semel Potæ, hisce usi sunt ad emphasin, ad Periodi concinnitatem &c. prout loci ratio exigere videbatur.

De Adverbiorum, Interiectionum, Coniunctionumque Collocatione.

Cap. VI.

I. Adverbium, ut ipsummet nomen indicat, verbis amat præesse; non tamen semper; nam id nominis sortitum est, non ex eo quod semper, sed quod plurimùm fit, & cujus causâ primum est inventum. Quare in reprehensionem incidit, ut reor, Scaliger, qui hujusmodi damnat appellationem, ex hoc tantùm, quod Adverbii non sit semper præponi. At si hæc ratio idonea esset; Præpositio Nomen perpetuò antecederet; cùm vocis etymon illud importet; quod tamen, etiam ex ipsius sententiâ, falsum est: &, nisi veteres omnes, audacter erroris damnare velimus, idipsum omnes fateamur, necesse est.

Præponitur, inquam, verbis. Cic. 1: off. *Hæc præscripta servantem, licet magnificè, graviter, animoséque vivere.* Id. de Senect. *Pares autem cum paribus veteri proverbio facillimè congregantur.* Et pro Lege Agr. *Quæ cùm ego non solùm suspicarer, sed planè cernerem; neque enim obscurè gerebatur &c.*

Catullus ep. 51. *Multùm lusimus in meis tabellis*. Ter. Eun. 2. 2. *Ne post conferas culpam in nos*. Lucan. l. 1.
Nobilitas cum plebe perit, lateque vagatur
Ensis &c.
Senec. Oedip. *Dubia plus torquent mala*.

II. Adverbium quod factum est ex nomine nomini ádjectivo eleganter postponitur. Sic Cic. *Durum admodùm mihi videbatur*. Id. 1. de Orat. *Est enim finitimus Oratori Poëta, numeris adstrictior paulò*. Ulteriùs Adverbium factum ex nomine Adjectivo, eleganter cum unius vocis, sive plurium interpositione, ante, vel post Comparativum collocatur. Cic de Orat. *Multò tamen pauciores Oratores, quàm Poëtæ boni reperiuntur*. Id. 1. Catil. *Intelliges, multò me vigilare acriùs ad salutem, quàm te ad perniciem Reipublicæ*. Et 2. de Inv. *Postea aliquantò ipsos quoque tempestas vehementius jactare cœpit*.

III. Adverbia comparativa, aut superlativa perinde ut nomina affabrè casum regunt. Ea autem potissimùm sunt loci, aut temporis; Genitivosque certos regunt. v. g. *Omnium te diligo amantissimè*. *Quod ad me misisti munus omnium diligentissimè asservabo*. *Nemo te vivit justiùs*. *Huc dementię pervenit*. *Ubique gentium &c.* Cic. 4. Tuscul. *Maximè verò omnium flagrasse amore Rheginum Ibicum apparet ex scriptis*. Id. *Quod quidem tu minimè omnium ignoras*. Apulejus 5. Met. *Longè parentum exulantes*. Et alibi. *Ubique itineris, alibi gentium, nusquam gentium &c.* Cic ad Att lib. 3. *Tui autem abes longè gentium*. Plautus.

Om-

Omnium primùm Alcmena geminos peperit filios .

Terent. Adelph. 1. 2. *Fratrem nusquam invenio gentium* .

Id. Eun. 1. 2. *Interea loci* .

IV. Nonnulla Adverbia , quamvis interdum Periodi initio apposita reperiantur; tamen optimum erit post aliquas voces locare exemplo meliorum : sicque fiet, ut sonantior magis evadat oratio. Ejus notæ sunt *certè, profectò, quippe , videlicet, planè &c.* Nam quamvis dici queat , v. g. *Certè si illum à proposito revocasset . Videlicet hoc fuit semper in veterum more positum . Quippe non rebar eo insaniæ devenisse Licinium &c.* Quis tamen negaverit non ornatiùs futurum efferre , *Illum certè , si à proposito revocasset . Hoc videlicet &c. Non rebar quippe eo &c.* Cic. pro Mil. *Movet me quippe lumen curiæ* . Id. de Nat. 1. *Alterum fieri profectò potest, ut earum nulla: alterum certè non potest, ut plus una vera sit* . Et 3. fam. 10. *Illud planè molestè tuli , quòd videbam &c.*

V. Adverbia Adjectivis nominibus , aut adverbiis ex adjectivis nominibus factis postponuntur; aut si præponantur, in medio aliquid non ineleganter ponitur. Ex Caussino . ut : *stylus intermissione paulùm admodùm de celeritate perdit* . Verùm hic cum præcedenti numero 2. cojncidit , meo judicio; quare exempla inibi legito . Tantùm admoneo , Adverbia vagari posse, prout opus fuerit, in Oratione ; atque eorum quidem magis canora , & ex multis syllabis compacta initium periodi ferè

ſolent amare; alia verò exilioris ſoni medietatem occupare. Sic Tullius ſæpe ſæpiùs Orationes hiſce polyſſyllabis adverbiis aperuit, ut Philip. 8. *Confuſiùs heſterna die acta res C. Panſa*. Pro Syllâ. *Maximè vellem, judices &c.* Phil. 3. *Seriùs omnino P.C. &c.* Et alibi, ut apud ipſum videre eſt.

VI. Quoad Interjectiones, nihil eſt quod præcipiam, cùm & ipſæ quemlibet in Periodo locum tenere queant; ibi enim interjiciuntur, ubi declarare intendimus animi affectum. Cic. de Senect. *O miſerum ſenem! qui mortem contemnendam eſſe in tam longa ætate non viderit*. Id. 3. de Orat. *O fallacem hominum ſpem, fragilemque fortunam, & inanes noſtras contentiones, quæ medio in ſpatio ſæpè franguntur, & corruunt!* Et 2. de Orat. *Proh Dii immortales, quæ fuit illa, quanta vis!* Id 3. Att. 15. *Atque utinam ipſe Varro incumbat in cauſam*. Et 13. ib. 46. *Quod utinam, iterum autem utinam, tuo tamen commodo*. Idem judicium de cæteris eſto. Poëtis quoque nulla certa lex: modò namque præeunt, modò ſubſequuntur; ſed plurimùm præeunt, ut egomet obſervavi, & ex ſequentibus erui poteſt auctoritatibus. Virg. 2. Æn.

Heu, nihil invitis fas quemquam credere Divis.

Et 1. Georg.

O fortunatos nimiùm, ſua ſi bona norint.

Mart. l. 4. epig. 46.

Ohe jam ſatis eſt, ohe libelle.

Et l. 5. ep. 34. *Væ tibi, Cauſidice.*

Terent. Eun. 4. 4.

Au, ne comparandus hic quidem ad illum eſt.

Sic

Sic in Phorm. *Eheu me miserum*. Plaut. Mil. *Heu mihi*. Virgil. 2. Ænid. *Hei mihi*. Et 7. *Heu stirpem invisam*. Ter. Andr. 1. 5. *Ah; tantanme &c.* Sed exemplorum abunde erit Poëseos studioso: quare jis modum impono, & ad Conjunctiones descendo.

VII. Conjunctiones eum sibi locum in Oratione vindicant, quem illarum ordo, & natura exposcunt. Quædam enim communes sunt, quæ possunt præponi, aut postponi; quædam Præpositivæ, quæ semper ferè præeunt; aliæ demum Postpositivæ, quæ subsequntur. De omnibus hic singillatim agendum: ac primò Postpositivæ sunt; *enim, autem, quoque, quidem, verò*, Enclitice *que, ne, ve*. Has in Capite Periodi nusquam aut pones, aut reperies; nisi rancidum quemdam Comicorum usum sequi mavis, qui ornatui minimè student. Et sanè, ut cæteras omittam, *Enim* non semel præposuerunt Plautus, atque Terentius: hic enim Phorm. 5. 8. dixit: *Enim neqeo solus*: ille Epid. 5. 2. *Enim istec captio 'st*. Item Aulul. 35. Casinä 2. 6. 5. 2. Milit. 4. 2. Pseud. 1. 1. Pers. 2. 2. 5. 2. & alibi. Ex Oratoribus verò quinam proferri possunt? Nulli profectò. Nam Cic. 1. De Nat. *Terra enim profectò pars mundi est*, postponendo, dixit; & 4. Ver. *Attendite enim* 12. Att. 9. *Adest enim dies*. 3. de Orat. *Faciles enim dies*. Et alibi singulis quibusque, ut ita loquar, versibus. De reliquis Conjunctionibus prænotatis idem sentiendum; & ne ab eloquentiæ Principe recedamus, 1. de Orat. habet:

Salve magnorum proles, genitorque Deorum.

Lucan. lib. 2.

Amplexus fines, saltus, nemorosaque tesqua.

Claud. l. 1. in Eutrop.

Jamque oblita sui, nec sobria divitiis mens.

Id. ibid. *Ægyptia jactat*

Somnia, prostratosque canit se vate tyrannos.

Hic obiter observa particulam disjunctivam *ve* multâ cum venustate ab antiquis geminari. Cic. in Orat. *Ut neve asper eorum concursus, neve hiulcus sit; sed quodammodo coagmentatus.* Id. ib. *Ut neve aspere concurrant, neve vastiùs deducantur.* Particula *ne* requirit post se *an*, non *aut*, ut quidam indoctè sensere. Cic. fam. l. 2. ep. 15. *Unum nescio, gratuler ne tibi, an timeam.* Potest tamen interdum *an* omitti, præsertim cum evidentior erit interrogatio, ut: *Isti ne sacrorum Cœtuum mores? istane fides, sanctitas, Religio?* Virg. 1. Æn. *Qui teneant (nam inculta videt) homines-ne feræ-ne. Quærere constituit* Post verba, *caveo, studeo, curo, facio &c.* particula *ne* eleganter negligitur, ut: *Cave suspiceris.*

IX. Præpositivæ Conjunctiones sunt, *quare, nam, ac, at, ast, nec, quin, nisi, sin, sive, seu &c.* Cic. 13. fam. 71. *Quare sic eum tibi commendo, ut &c.* Et 14. 1. *Nam quid ego de Cicerone dicam? qui &c.* Id. de Cl. *Nisi quid de Epaminonda suspicari libet &c.* His adde, *etsi, quamquam, quamvis, quoniam, quamobrem*, & id genus alias, quæ periodum, imò orationem universam perbellè aperire solent; ut apud Tullium videre est.

Pro L. Manil. *Quamquam mihi semper frequens conspectus vester multo jucundissimus.* Et Phil. 12. *Etsi minimè decere videtur* P. C. Martial. 11. epig. 33.

Nec puer, aut senior, nulla est ancilla, nec infans.

Ovid. *Sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum.*

Nemo tamen, dictis Conjunctionibus perpetuum existimet esse præponi, ex eo, quod inter Præpositivas recensuerim; nam licèt Postpositivæ raró, aut nunquam præcedant; Præpositivæ, si ratio id exigat, queant postponi; ut ex multis Scriptorum testimoniis, quæ lubens missa facio, perspici potest.

X. Communes sunt *Ergo, igitur, itaque, tamen &c. Igitur,* & *tamen* ex meliorum sententiâ, magis postpositiva sunt; & quidem initio Periodi *tamen* non recordor legisse, sed ejus loco *attamen*, sicuti etiam vice *quidem, equidem*, vice *enim, etenim*. Cic. 2. de Inv. *Ergo is qui scriptum defendet &c.* 1. Tuscul. *Nemo ergo non miser, prorsus nemo.* Id. pro Lig. *Habes igitur Tubero.* Et 4. Acad. *Ordiamur igitur à sensibus.* Id. de Amic. *Itaque ipse mea legerit* Et 3. de Orat. *Omnis itaque oratio conficitur ex verbis.* Id. ib. *Quæ tamen ipsa membra sunt numeris vincienda.* Ad famil. 7. 26. *Attamen ne mirere, unde hoc acciderit &c.* Id. 3. Orat. *Etenim sicut ille suspicatur &c.* Et 6. Att. 3. *Equidem doleo, non me his literis certiorem fieri &c.* ubi nota, *equidem* compositum esse ex pronomine *ego*, & ex adverbio: quare primâ tantùm cum personâ jungendum,

licet

licet aliter inveniatur interdum. Terent. Eun. 2. 3. *Itaque ergo amantur.*
Martial. l. 9. epig. 27.
Sed tamen & parvæ nonnulla est gratia Musæ.
Id. l. 9. ep. 55.
Non ergo est manus ista, sed statera;
Virg. *Ergo age chare Pater &c.*
Terent. And. 4. 1. *Attamen ubi fides est &c.*

XI. Conjunctio conditionalis *si* multam habet elegantiam, si in oratione secundâ (in unâ enim oratione sententia non terminatur, ubi particula hæc adhibetur) aut si non in principio primæ, sed proximè verbum ponatur. Ex Silvio Cent. 3. c. 82. ut: *Amantem te si negligis, spera fore ut quem ames, ab eo contemnare.* Cic. de Amic. *Nulla est excusatio peccati, si amici causa peccaveris.* Id. in ep. *Id si feceris, erit mihi vehementissimè gratum.* Propert. l. 2.
Vivam, si vivet: si cadet illa, cadam.
Plaut. *Bono si quid malefacias, ætatem expetit.* Præterea eadem particula, pro futuro modi Indicativi, sibi ascifcit futurum modi Conjunctivi; undè Cic. de Orat. *In quo vereor ne si id, quod vis, effecero,* pro *efficiam.* Et alibi. *Id ille si fecerit, spes est pacis.* Eleganter etiam postponitur, præcipuè Pronominibus. Cic. pro Quinct. *Pecuniam si cuipiam ademit.* Et in Orat. *Hoc nos si facere velimus.* Interdum prorsus omittitur. Philip. 13. *Recenseris; undique omnes insequentur; manseris hærebis &c.*
Virg. l. 6. Æn. *Tu quoque magnum Patrem opere in tanto, sineret dolor, Icare haberes.*

idest:

idest: *si sineret dolor*.

XII. *Tum*, & *tum* dicimus quando sententiæ sunt pares. Cic. 9. Att. 4. *Scripsisti epistolam ad me plenam consilii, summæque tum benevolentiæ, tum etiam prudentiæ*. Id. ib. *Dissero in utramque partem tum Græcè, tum Latinè*. Quando verò aliquid gravius ponetur, *Cum* in primo loco, & cum re generali, aut minoris pretii locabitur; *Tum* in secundâ parte graviori, & magis speciali; cui etiam addi poterunt particulæ, *certè, etiam, maximè, præcipuè præterea, in primis, verò &c.* Cic. 3. Off. *Plena exemplorum est nostra Respublica, cùm sæpè alias, tum maximè bello Punico secundo*. Et ad Q. Fr. 1. 1. *Servos cùm omnibus in locis, tum præcipuè in Provinciis regere debemus*. Item 1. famil. 7. *Lentulum nostrum cùm cæteris artibus, tum in primis imitatione tui, fac erudias*.

XIII. Particula *Cùm* in orationis medio aprimè congruit; at id moris semper observari ne contendas: ut: *Amicorum, proximorumque vitia, cùm noveris, ea nemini aperta feceris*. Cic. de Senect. *Curio ad focum sedenti, magnum auri pondus Samnites cùm attulissent, repudiati ab eo sunt*. Varro de R. R. *Admota aspis cùm pupugerit, si non occidat; sciat, ex Psyllorum stirpe esse*.

Eadem particula non ineleganter subjungitur tempori loco relativi *qui, quæ, quod*. Cic. pro Plan. *Nunquam oblivisçar noctis illius; cùm tibi vigilanti pollicebar*, idest, *qua*. Et 3. fam. 3. *Utinam diem illum videam, cùm tibi gratias agam*. i. *quo*. Utriusque canonis Poëtica exempla hæc sunto. Plaut. *Ple-*

Plerique homines, cùm nihil refert, pudent &c

Et alibi:

Jam aderit tempus, cùm se se etiam ipse ode-
rit. id. *quo.*

Terent. And. 2. 1.

Facilè omnes, cùm valeamus, recta consilia
ægrotis damus.

Tibul. l. 1. eleg. 4.

Vidi jam juvenem, premeret cùm serior ætas,
Mœrentem stultos præterjisse dies.

Tandem eadem particula quandoque venustè exorditur Orationem; ut Cic. pro Plan. *Cùm propter egregiam, & singularem Cn. Plancii, Judices, in mea salute custodienda fidem &c.* Pro L. Valerio Flacco. *Cùm in maximis periculis hujus Urbis, atque imperii &c.*

XIV. *Ut* Conjunctio causativa, in orationis medio, ac proximè verbum ponitur sæpiùs, ut: *Negotium hoc ut conficias, totis viribus allaborandum est.* Cic. 5. fam. 16. *Est etiam consolatio pervulgata quidem illa maximè, quam semper in ore, atque animo habere debemus, homines nos ut esse meminerimus, ea lege natos, ut omnibus telis fortunæ proposita sit vita nostra.* Et 3. de Orat. *Quæ sic ab illo acta esse constabat oculis, voce, gestu; inimici lacrymas ut tenere non possint.*

Terent. And. 3. 4. v. 9.

Ea gratia simulavi, vos ut pertentarem.

Idem.

Omnibus nobis, ut res dant se se, ita magni,
atque humiles sumus.

Supponitur eleganter particula *Ut* post verba *necesse est, oportet, volo, nolo, malo, peto, rogo, precor*: item post verba *curo, certo,*

feo, provideo, caveo, nuncio, suadeo, facio &c. ut: *Malo venias, quam scribas. Ubi sis, peto, Afranium certiorem facias. Fac me semper habeas in amoribus.* Cic. 5. fam. 6. *Tu ad me velim literas crebriùs mitras.* Et I. de Orat. *Nunc enim te jam exoremus necesse est.* Et 10. fam. 15. *Fac valeas, meque mutuò diligas.* Propert.

Multa priùs Dominæ delicta quæraris oportet.

Catull.

Velim Cæcilio, Papyre, dicas, Veronam veniat.

XV. Particula *Ac*, vel *Atque*, usitatiùs quàm *Et* ponuntur inter polysyllaba vocabula; & quidem ita, ut *Atque* vocalibus, *Ac* consonantibus (exceptis Q. C.) præfit. v. g. *Liberalitatem, ac magnanimitatem tuam, amici, atque inimici admirantur simul, & colunt.* Cic. I. Tuscul. *Exacta ætas honestè, ac splendidè, tantam fert consolationem; ut eos, qui ita vixerunt, aut non tangat ægritudo, aut leviter pungat animi dolor.* Id. pro Flac. *Gravissimo, atque acerbissimo Reipublicæ casu, socio, atque adjutore consiliorum &c.* Reperitur etiam Conjunctio *Et* media inter polysyllabas voces, sed rariùs. Sciendum præterea, dictas particulas in principio periodi bellissimè interdum positas à Cicerone: ut pro se Manil. *Ac primùm quanta innocentia debent esse Imperatores?* Et alibi. *Atque, ut omnes intelligant &c.* quæ passim inveniuntur.

DE

De Vitiosa Verborum Collocatione.

Cap. VII.

I. AB Orationis virtutibus ad vitia devenimus. Attamen quia ex vitiis virtutes interdum creari solent, ut inquit Socrates apud Platonem: hac re adducor, ut ex iis quæ, vitanda sunt nonnulla (neque enim possunt omnia) breviter hic disseramus. Et Primò sermonis venustatem valdè coinquinat longarum vocum series, ut: *Indoctorum, imperitorumque execrabilem negligentiam populorum vehementer aspernabantur*. Talis est notæ vulgatum illud Distichon, quamvis ob metri difficultatem laudatum.

Conturbabuntur Constantinopolitani
Innumerabilibus sollicitudinibus.

Quæ carminis genera Poëtæ μακρόκωλα, i. longimembra dicunt. Nec tamen semper improbanda hujusmodi vocum longitudo, nam quandoque appositè Periodo immiscentur; præcipuè cùm grave aliquid, aut grande exprimere volumus. Nam, ut inquit Sinesius epist. 4. *Opus mihi est tumentibus quoque nominibus, ne magna narrem abjectiùs*. Hinc est, quod Poëtæ Spondaicis interdum usi sint; iisque in voce tetrasyllabâ desinentibus, ut rei granditatem monstrarent; ut vides in his ex Virg. Eclogâ 4.

Clara Deum soboles, magnum Jovis incrementum.

Item Georg. 2.

Muneribus tibi pampineo gravidus autumno.
Præterea ut inquit Phalereus 45. *Efficiunt longitudines membrorum magnitudinem. Celeriter enim reticere in membrum breve conterit orationis granditatem; etiam si sententia, quæ subest, magnifica fuerit, & eodem pacto verba.*

II. Exadversò pariter breves voces, atque monosyllabicæ, orationi officiunt, ubi nimiùm frequentes sint; (In his enim, & similibus, non qualitas, sed quantitas improbatur:) Nam exilem admodum efficiunt texturam, enervemque reddunt periodum. Necesse est enim quod compositio multis clausulis concisa subsultet; & ideo brevium verborum, ac nominum vitanda est continuatio. Quare hæc ne dixeris: *Et cum eo clam tu te subduxisti mihi.* Neque illud laudaveris:

Bene citus ego pede celere ago numeros.

Quod itidem carmen Hyporcherma appellatur, quasi saltatorium; cujus extitit auctor Princeps Thales. Multò minus irrepant in Oratione monosyllabicæ dictiones coacervatim positæ: offendunt enim aures, ac sonum emittunt penè puerilium crepitaculorum. *Fragosis enim offendimur,* aiebat Ferettus; *contortis excitamur; claudis deprehendimur: redundantia, & nimia fastidiunt; lenia verò mulcent; & stabilia probant.* Aliquando tamen penitùs injucundus hujusmodi concursus non est: ut videmus apud Ovidium de Pont. lib. 2. Eleg. pr.

Jam nunc hæc à me, Iuvenum belloque, togaque
Maxime.

Col-

Collega pariter meus C. V. Pater Joannes Chrysostomus à S. Paulo contra talem Observationem monosyllabas voces miro artificio contexuit lib. 1. de Interpretatione sermonum, quem typis parat:

O mens, in me ne sis, si vis, vis sit ut in te:
I de te: vis est hic, & in hoc, & ab hoc.
Scis quid in hoc sit? Pax. An plus? & ab hoc id es abs te,
Ut des cui jus est, ut sit Is; ac sat Is est.

Miscendæ itaque breves longis vocibus, & longæ brevibus, ut optimæ notæ Scriptores præstitere. Sic Tullius: *Etsi vereor, Judices, ne turpe sit, pro fortissimo dicere incipientem timere.* Et pro Marcello: *Diuturni silentii P. C. quo fueram his temporibus usus &c.* Et ita ubique semper sibi similis.

III. Vitiosa est ejusdem literæ crebra repetitio, quæ accidere solet, cùm plura verba ab eâdem literâ ducunt initium. Si Cappacismum vitabimus, nimiam scilicet literæ C frequentationem, qualis esset: *Cujus convivii causam curabis citiùs conquirere.* Jotacismum, ut: *Juno, Jovi jure irascitur.* Lambdacismum, ut: *Sol, & Luna luce lucent longè clariori.* Myotacismum, ut illud Poëtæ cujusdam apud Ciceronem 3. de Oratore.

Impius hortatur me frater, ut meos malis miser
Manderem natos. Et aliud ib.
Iterum jam aggreditur me, & quietum exsuscitat
Major mihi moles, majus miscendum est malum.

Hanc certè literam evitavit antiquitas, cùm alias, tum præsertim si proxima vox à vo-

à vocali inciperet. Et Cato Censorius literâ *m* detractâ *die hanc* pro *diem hanc*, & similia, teste Fabio, dixit. Eâdem de causâ apud Poëtas Comicos potissimùm, sæpè invenias *optimu' est: ferendu' est: videndu' est*, pro *videndum est: ferendum est: optimum est*: *Est enim compositio mala*, inquit Silvius Prog. centuria secunda cap. prim. *cùm vocalis in principio verbi posterioris cum litera* m *in fine prioris conjungitur. Id quod cum usu venit* m *parum, ut Quintilianus ait, exprimitur*; ut: multum ille, quantum erat, *adeo ut penè cujusdam novæ literæ sonum reddat. Neque enim eximitur, sed obscuratur; & tantùm aliqua inter duas vocales velut nota est, ne coëant*. Polysigma itidem orationem deturpat, ut: *singulari solatio Sempronio Statices studia sunt*. Porrò nec tantùm S, sed etiam T & R repetita sæpius euphoniæ inimica sunt; quapropter illud Ennii reprehenditur num. 297.

O Tite, tute Tati tibi tanta tyranne tulisti?

Idipsum de aliis sentias.

IV. Magis insuper deturparetur sermo, ubi dictio in S desinens ab aliâ exciperetur, cujus eadem litera initium foret. Item si prior per R, X, aut duplicem consonam terminaret; ac sequens per easdem literas, aut consonas inchoaret. Sicque malè sonant *Ars studiosorum; Error Romuli; Rex Xerses; Dux Xanthippus, suus sermo &c.* Et quidem quantum ad S, adeo stridet, ut ex antiquis non defuerint, qui vitio adscriberent, S in fine vocis collocari, quando dictio posterior à consonante inchoaret. Quæ causa fuit Servio, ut Quintilia-

nus

nus ait, subtrahendæ S literæ, quoties ultima esset, aliâque consonante susciperetur. *Ita enim loquebamur* (Verba sunt Cic. de perfecto Orat.)

Qui est omnibu' princeps. *non omnibus princeps*; &

Vitâ illâ dignu', locoque. *non dignus.*

Quod si indocta consuetudo tam est artifex suavitatis, quid ab ipsa tandem arte, & doctrina postulari putamus? Arte quoque factum putant à Virgilio, ut in his versibus S detraheret, ad evitandam concursus asperitatem:

Sed tamen iste Deus qui sit da Tityre nobis. pro *quis.*

Despectus tibi sum, nec qui sim quæris, Alexi.

Post ens (inquit Trapezuntius Rhet. 5.) so *inferre durissimum est; tum vocalium diversa prolatione, tum consonantium cumulo, tum S literæ, quæ ferum quid, & silvestre sonat, conduplicatione: & post tum* sa *inducere non jucudum est*. Hæc vir eruditissimus. Malè tandem cohærent R initio sequentis, & S in fine præcedentis vocis; R enim canina litera dicitur, rabiemque præsefert. Itaque ne dixeris: *scimus rationes: nummos redde, vices repende &c.* Cùm rabiem tamen, aut arma, iraque frementem aliquem expresseris, talis concursus aptissimus. v. g. *Hinc rabidus ruens Quintus Roscius, extorsit ardentes oculos, rugisque frontem crispans rigidis, horrendis verbis rimatus est veritatem.* Propterea laudatur hoc Virgilii, quo stridulum sonum apprimè depinxit:

Convulsum remis, rostrisque stridentibus æquor.

Et

Et alibi ubi latratum canis exhibuit, caninam literam tribus versibus ter adhibuit supra decem. Sannazarus quoque Maronis imitator lib. 1. Part. Virg.

Tergemini canis adverso qui carceris antro &c.

Vida insuper lib. Carm. ad Leonem X, horrorem armorum, rixanti hoc elemento perbellè repræsentavit hoc pacto:

Juvet me
Horridas audire, juvet ruentes
Jam gravem ferri strepitum, tubasque &c.

V. Frequens vocalium concursus absit ab Oratione, ut jucundior, & minùs hiulca fiat. Hiulca esset si diceres v. g.

Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.

Sanè Theopompus ita eum concursum fugit, ut in reprehensionem, teste Tull. de perf. Orat. incurrerit; & qui ex Isocratis disciplinâ exiere, si Phalereo 261. credendum, similiter omni studio idipsum evitarunt; utpote non accommodum Orationi vehementi. Latini quoque Poëtæ, ne hiare cogerentur, sinalæpham, collisionemque repererunt. Quidam tamen defendunt, plures insimul coherere posse vocales, Græcorum, Latinorumque freti auctoritate, atque consuetudine; & quidem Thucydidem, atque Platonem, in iis sermonibus, qui dialogi dicuntur, ac in popularibus orationibus, quibus mos erat Athenis laudari interfectos in præliis, adhibuisse, tradit idemmet Cicero loco laudato. Indicant insuper orationes illę ipsę horridæ Catonis. Indicant non pauci Homeri versus, alteriusve Græci,

Pe-

Petrusque Victorius observat Iliad. 16. v. 358. geminos adhibuisse vocalium concursus, eosque propinquos, & quod majorem adhuc hiatum facit, non ex simplicibus literis, sed ex diphthongis. Restant adhuc Nevii fragmenta, ubi talis vocalium concursus inspicitur:

Vos qui accolitis Histrum fluvium, atque Algidam

Et ibidem.

Quam numquam vobis Graii, atque Barbari.

Dicendum igitur, vocalium concursionem nec semper frequentandam, nec perpetuò vitandam. Frequentabimus exemplo veterum; ubi scilicet grande quid exprimimus, grave, concitum, & id genus. Sic Virg. 1. Æn.

Sævus ubi Æacide telo jacet Hector; ubi ingens
Sarpedon.

Et alibi.

Insulæ Jonio in magno. Sub Ilio alto. Pugna aspera surgit &c.

Pater Joannes Chrysostomus à Sancto Paulo nuper laudatûs, undarum fluctus sese invicem decurrendo absorbentes depicturus, ita cecinit:

Additur unda undæ; atque undam fugat unda volantem.

Vitabimus, cùm sermonis suavitati officient; nimiamque exilitatem præseferent; quod maximè accideret si eâdem longiùs vocali uteremur. v. g. *Nihilominus si jisset, itionis inopinæ illico pœnituisset.* Si tamen hac in parte minùs religiosos nos esse inten-

tendi-

tendimus, ſaltem vocales commiſceamus; quod fecit Tullius artis Magiſter, cùm inquit: *Ego omni officio, ac potiùs pietate cæteris ſatisfacio omnibus &c.* Profectò Græci Demoſthene poſteriores, hoſce vocalium hiatus diligentiùs à ſuis ſcriptis amovere; Græciæque univerſæ ſemper fuit in more poſitum, adjectivas quaſdam literas inſerere dictionum extremo per vocalem deſinenti, quando ſequens à vocali itidem inchoaſſet.

VI. Nocet etiam elegantiæ, quando capitur initium ab jis literis, quæ præcedentis vocis erant ultimæ, aut ultimis finitimæ v.g. *Nonnulli literati Attico more ſibila lambebant.* Similiter Cacophaton illud evitare curabimus, quod obſcœnum facit intellectum. Quare non multùm laudatur illud Maronis Æn. 3. *Caſus Caſſandra canebat*. Longè injucundior erit oratio, teſte Fabio, ſi plures ſyllabæ verbi prioris ſint primæ ſequentis, quod Ciceroni excidit, ubi inquit: *Res mihi inviſæ viſæ*. Et in decantatiſſimo illo

O fortunatam, natam me conſule Romam.

Ubi Echûs prorſus repercuſſionem expreſſit abs re. Similiter cavendum à nimiâ ejuſdem verbi frequentatione, ut; *Cujus rationis ratio non extat, ei rationi non eſt ratio fidem adhibere.* Neque hìc excludere animus eſt aut Alluſionem, aut Traductionem, crebram ſcilicet ejuſdem dictionis repetitionem; ſed cum caſuum aut modorum varietate, aut mutatione in ſenſu, qualis hæc eſſet: *Qui nihil habet in vita jucundius vita, cum virtute vitam non poteſt.*

potest colere. Interdum quoque ejusdem dictionis repetitio, seu conglobatio, virtutis quid habet in oratione; nam vehementiam quamdam repræsentat: ut in illâ Didonis imprecatione 4. Æn.

Littora littoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis; pugnent ipsiq; nepotes.

VII. Cadentia, vel desinentia, & eodem modo declinata, malè junguntur, ut: *optimorum fortunatorum Imperatorum*. vel *sententia virorum Italorum, Græcorum, Germanorum &c.* Ideo videndum, ne verba verbis, aut nomina nominibus, similiaque his continuari videantur; sed quando plures casus pari pacto cadentes occurrent; poterit quid inter illos inseri. Cicero, quamvis pro viribus tales vitavit desinentias; tamen pro Milone neglexit, inquiens: *Scutorum, gladiorum, frenorum, sparorum, pilorumque etiam multitudo*. At fortasse datâ operâ id factum, ut in verbis ipsis similiter cadentibus strepitum, atque sonoritatem exprimeret. Neque verò hac nostrâ præceptione quis abutatur, Homæoptota, aut Homœoteleuta ab oratione amovendo, cadentiam scilicet similem vocum; nam hæc si suis tempore, locisque adhibeatur, maximo sunt ornamento; atque ideo ab Oratoribus inter schemata Rhetorices relata fuere. Præterea illa fiunt plurimùm in commatibus, aut coli fine; nosque hîc reprehendimus solùm proximarum vocum similem desinentiam, quæ fastidium parit.

VIII. Postremò trajectionem verborum, & inconcinnas transpositiones vi-

tabimus; quo in vitio est Lucilius Poëta, ut in plerisque, tum in hoc versiculo:

Has res ad te scriptas Luci misimus Æli.

Nec mirum si stans pede in uno trecentos versus similes effundebat. Hujusmodi censetur & illud Virgilii

Jamque ibat dicto parens, & dona Cupido,
Regia portabat Tyriis, duce lætus Achate,

quæ per Chiasmum, hoc est decussationem hoc pacto declarantur:

Jamque ibat parens dicto duce lætus Achate
Regia portabat Tyriis, & dona Cupido.

Generatim loquendo hyperbata ubi frequentia fuerint, obscuritatem pariunt, atque duritiem; ut monet Quintil. lib. 8. c. 2. Quibus adhuc pejor est mixtura verborum, qualis in illo versu:

Saxa vocant Itali, mediis quę in fluctibus, aras.

Etiam interjectione, cùm medio sermone aliquem inserunt sensum, impediri solet intellectus: nisi quod interponitur breve est: Nam Virgilius cum dixisset:

Nec vanos horret strepitus

compluribus insertis aliâ figurâ, quinto demum versu reddit:

Tum si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit &c.

Hujusmodi Interjectionibus, Hyperbatisque, quibus utebatur frequenter, Apostoli epistolæ, obscuræ prædicantur ab Irenęo l. 3. c. 7. Benedicto Justiniano in Proleg. ad ep. disp. 2. c. 4. aliisque Interpretibus.

IX. Ultimò tandem Amphibologiam, ambiguitatemque in oratione caveamus; non eam solùm, quæ incertum intellectum facit, ut: *Sempronium audieram interemp-*

psisse Demagoram; sed illam quoque, quæ etiamsi sensum nequit turbare, in idem tamen verborum vitium incidit; ut si quis dicat; *visum à se hominem scribentem librum*. Quamvis enim librum ab homine scribi manifestum sit; malè tamen composuerat, feceratque, quantum in ipso erat, sermonem ambiguum. Inanium quoque verborum amputanda luxuries: necessariaque brevitatis ergô ne omittantur in oratione; ut Fabius suadet his verbis ex lib. 8. c. 2. *Est etiam in quibusdam turba inanium verborum, qui dum communem loquendi morem reformidant, ducti specie nitoris circumeunt omnia copiosa loquacitate, quæ dicere volunt: ipsam deinde illam seriem cum alia simili jungentes, miscentesque ultra quam ullus spiritus durare possit, extendunt. Apud T. Livium invenio, fuisse præceptorem aliquem, qui discipulos obscurare quæ dicerent juberet.* Et mox: *Alii brevitatis æmuli necessaria quoque orationi subtrahunt verba; & velut satis sit scire ipsos quæ dicere velint, quantum ad alios pertineat, nihil putant.* Verùm, quia de his & in 1. parte actum est, & alibi magis ad rem erit sermo; ulteriùs ne progrediamur. Tantùm animadvertant Tirones, variandam semper esse formã inchoandi, & claudendi Periodum: non autem Emistichiis Elegiaci, aut Heroici carminis; de quo improbatur Sallustius, qui Orat. 2. ad Cæs. de Republicã ordinandã finem ita imposuit: *Multaq; in pectore volvit*. Quandoq; tamen sed perraro negligi potest; pręsertim si minus apertæ sint metri leges: quod fecit & Cicero pluribus in locis.

A. M. P. I.

PARS TERTIA.

DE ORNATU TROPORUM, Qui in Verbo consistunt.

Ad Sermonis Ornatum introductio. Duplex ejus species. De Tropis generatim.

Ars ubi sermonis partes, qua lege ligandæ,
Edocuit: jugis quò vos Imitatio ducat:
Dummodo nulla dies vobis exercita desit:
Nunc, Juvenes, ornare Tropis, augere Figuris
Non pigeat, monumenta magis concinna daturos.

I.  *Mendatè quidem, ac dilucidè dicentium tenue præmium est; magisque vitiis carere, quàm ut aliquam magnam virtutem adeptus esse videaris*, ait Quintil. l.8. cap.3. Postquàm ergo de puritate, atque perspicuitate Verborum, quæ elegantem reddit sermonem, pro vestro captu jam satis egerim; de ipso sermone exornando aliquid superaddere, operæ precium existimavi; ut ita paulatim Elocutionis Virtutibus vos

vos informem, quibus ad veram Eloquentiam parari possitis. Ita prorsus Picturæ Magistri nuda membra docent antè delineare: deinde ipsa vestire. nemo enim effigiem sat bene exornaret; nisi calleret nudam antè formare. Quid autem gratiùs juventuti sit ornamentis?

II. Nemo verò ad Artis huc usque traditæ acquisitionem perveniet, ut aliàs monui, nisi qui assiduâ bonorum Authorum imitatione exerceatur: ut facilè, promptèque quod doctus fuerit, ad praxim reducat. Atque ideo, ne laudabili huic æmulationi materia desit, quæ jucundiorem in dies laborem reddant, ministro.

III. Sermonis Ornatus universus consistit aut in Verbo, aut in Sententiâ: seù Verbum translatum sit, & dicitur *Tropus*: seù proprium, & dicitur *Figura*. quamvis nonnulli illum ab istâ negaverint discrepare.

Est Tropus à proprio similis translatio sensu.
Ista vel ex una tantummodo voce resultet:
Integra sive ipsam nobis sententia formet.

IV. Tropus græca vox τροπὴ mutationem, vel conversionem significans, definitur à Quintiliano l. 8. c. 6. *Verbi, vel sermonis à propria significatione in aliam cum virtute mutatio.* quibus ex verbis colligitur, *Tropum* duplicis esse speciei, *Verbi* scilicet, & *Sermonis*, seù *sententiæ*. Nunc de Verbi Tropis agemus, quos sex numeramus, subtiliori quorundam divisione neglectâ, quæ ad praxim non facit: scilicet

Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Antonomasia, Catachresis, Metalepsis.

DE METAPHORA.

Cap. I.

Nominis, aut Verbi variat Translatio sensum.
Improprias docuit voces formare necesse.
Invaluit verò, quòd fortiùs exprimit, usus:
Inde voluptatis causa, quæ ornata ministrat.

I. METaphora Græcum verbum μεταφορὰ antonomasticè *Translatio*, Troporum omnium Princeps cùm frequentatissimus, tum longè pulcherrimus, est *Nominis, aut Verbi cum virtute translatio*, ex eo nempe loco, in quo proprium est, in eum, in quo aut proprium deest, aut translatum proprio melius est. Cic. lib. 3. de Orat. *Ut vestis frigoris depellendi causa reperta primò; post adhiberi cœpta est ad ornatum etiam corporis, & dignitatem: sic verbi translatio, instituta est inopiæ causa, frequentata delectationis.* quibus ex verbis apertè patet, Metaphoræ duplicem esse causam à Tullio assignatam, *necessitatem*, ac *delectationem*: hæc autem ex eo oritur delectatio, quod verbum translatum proprio sive est significantius, sive decentius.

II. *Necessitate* Rustici, quoniam propriam non habebant vocem, quâ significarent id, quod est in vite *gemmare*, *luxuriari* in herbâ; *sitire* in segete; *languere* in floribus; in fructibus *laborare*; ad metaphoram confugerunt. Necessitate nos *durum*

rum hominem, *asperum*, aut *mollem* dicimus: non enim proprium erat, quod daremus his affectionibus nomen. *Ea igitur transferri oportet*: quemadmodum ait Cic. 3. de Orat. *quæ clariorem faciunt rem*: ut illa omnia Pacuvii,

Inhorrescit mare.
Tenebræ conduplicantur, noctisque & nimbum occœcat nigror;
Flamma inter nubeis coruscat: cœlum tonitru contremit:
Grando mista imbri largifluo subita præcipitans cadit:
Undique omnes venti erumpunt: sævi existunt turbines:
Fervet æstu pelagus. Omnia ferè quo essent clariora, translatis per similitudinem verbis dicta sunt. Cic. de Finib. *Homo asper, & durus oratione & moribus.* Id. de Or. *Orator nulla in re tiro, ac rudis esse debet.* Juven. Sat. 11. *Tunc rudis, & Grajas mirari nescius artes.* Virg. 1. Æneid. *aspera Juno.* Terent. Eunu. *Ejiciunda herclè hæc mollities animi est.* Ovid. de Pont.

Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura est,
Pectora mollescunt, asperitasque fugit.

III. *Ad vehementiùs significandum*, & quemadmodum ait Cic. 3. de Orat. quo significetur magis res tota, sive facti alicujus, sive consilii: ut ille qui occultantem rem consultò, ne id, quod ageretur intelligi posset, duobus translatis verbis similitudine ipsâ indicat.

Quandoquidem iste circumvestit dictis, sæpit sedulò.

 Talis

Talis etiam notæ: *Vive, Ulisses, dum licet. Oculis postremum lumen radicatum rape.* Non dixit, cape, non pete; ut idem notat Cic. haberet enim moram sperantis diutiùs esse sese victurum: sed *rape*. hoc verbum est ad id aptatum, quod antè dixerat, *dum licet*.

Hac ratione dicimus aliquem *incensum* irâ; *inflammatum* cupiditate; *lapsum* errore; mente *obtusum*, *acutum &c.* nihil enim horum suis verbis, quàm his arcessitis, meliùs exprimeretur: ut cum Cic. de Orat. *indotatam* artem dixit: *dote* verborum locupletare, & *ornare*. Id. ibidem. *Inflammatio animi, & quidem afflatus quasi furoris*. Id. pro Rab. *Satis est homines imprudentia lapsos non erigere: urgere verò jacentes certè est inhumanum.* Virg. Æn. lib. 2. *Invadunt Urbem somno, vinoque sepultam*. Claudianus plura simul excellentis metaphoræ nobis suppeditat exempla in Ruff. ubi de providentiâ & pœnis scelestorum:

Sæpè mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras; an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu.

Et post pauca:

Abstulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum.
Absolvitque Deos. jam non ad culmina rerum
Injustos crevisse queror. Tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant.

Virg. Æn. 6. *Quisque suos patimur manes.* Quē imitatus Auson. de malâ conscientiâ:

Tormentaque sæva gehennæ
Anticipat, patiturq; suos mens conscia manes.

IV. *Ornatus causa* dicimus *lumen* orationis: generis *claritatem*: *splendorem* nominis,

minis, familiæ, virtutis: *infortuniorum procellas*, ac *tempestates*. Cic. in Paradox. *Nihil tam horridum, tam incultum, quod non splendescat oratione, & tanquam excolatur*. Id. de Orat. *Nam qui locus quietis, & tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maximæ molestiarum, & turbulentissimæ tempestates extiterunt*. Id. pro Plan. *Qui hac populi tempestate jactamur, & fluctibus*. Apollodor. latinè redditus.
Magna fortunæ dona non sine metu sunt;
Et splendor eximius periculo non vacat.

METAPHORAE FONTES.
Cap. II.

Quadruplicat proprias Verbi translatio formas.
Sive animata vices, sivè bis contraria præstent.

I. QUatuor præcipuè fontes assignantur, ex quibus cum virtute desumi potest Metaphora: qui sunt
Ab animato ad animatum.
Ab inanimato ad inanimatum.
Ab animato ad inanimatum.
Ab inanimato ad animatum.
Ita communiter Rhetores, inter quos Beda qui lib. de Tropis hæc habet: *Metaphora fit modis quatuor. Ab animali ad animale*, ut. *Typhito aurigam celeres facere carinæ*. Et. *Si sumpsero pennas meas. Nam & homines animam habent. Ab inanimali ad inanimale*, ut. *Pelagus tenuere rates: nam & Pelagus, & rates animam non habent*. Simile est illud. *Aperi Libane portas tuas*. Et. *Qui perambulant semitas maris. Translatio est enim à Civitate ad montem, & à ter-*

à terra ad mare; quorum nullum animam habet. Ab Animali ad animale, ut:

Atlantis cinctum assiduè cum nubibus atris
Penniferumq; caput vento quassatur & imbri;
Nix humeros infusa tegit, tum flumina mento
Præcipitant senis, & glacie riget horrida barba.

Nam, ut hæc animalis sunt; ità mons animam non habet, cui membra hominis adscribuntur. Ab animali ad animale, ut: Auferam à vobis cor Lapideum; non enim lapis, sed populus animam habet.

II. *Quum itaque* (ut ait Mintur. de Poët. l. 6.) *res omnes, vel inanimæ sint, vel animales; interdum ejusdem generis alia pro alia ponitur.* Primus igitur fons, quo *aliquid proprium alicujus animalis transfertur ad aliud animal.* S. August. in psalm. 91. de Diabolo ait. *Latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem.* Cic. de cl. Orat. *Latrant enim jam quidem Oratores, non loquuntur.* Id alibi. *Quid latras? furem video.* Id. Tuscul. 4. *Morderi est optimum conscientia post commissum facinus.* Hort. 1. epist. 1. *Ira brevis, furor est, animum regat, qui nisi paret imperat. Hunc frœnis, hunc tu compesce catenis.* Virg. Æn. 4. *It nigrum campis agmen,* quum de formicis Poëta loqueretur. *pars agmina cogunt* Æn. 6. *Animas ille evocat orco Pallentes: alias sub tristia Tartara mittit.* Item 7. *Lamentis, gemituque, & fœmineo ululatu.* Ibid. *Ac aliæ tremulis ululatibus æthera complent.* Martial. libr. 12. Epigr. 31.

Si vitare velis acerba quędam,
Et tristes animi cavere morsus;
Nulli te facias nimis sodalem.

II. Se-

III. Secundus fons primo oppositus est, quo *ex inanimi ad aliud inanime significandum verbum transfertur*. Sic dicimus Argumentorum congeriem, *silvam*: laudum *segetem*: virtutum *culmen*: *fructum* laborum: *dulces* lacrymas: *lumen* veritatis: *aureos* mores: *pignus* amoris: *semen* verbi: *sedem* sapientiæ: *Radices virtutis amaræ, fructus verò sapidi*. Ecclesiast. c. 7. *Fili, non semines mala in sulcis injustitiæ*. Ezech. 50. *Libavit de sanguine uvæ*. Cic. de Orat. *Primum sylva rerum, & sententiarum comparanda est*. Id. pro Mil. *Quid enim odisset Clodium Milo, segetem ac materiam suæ gloriæ?* Sic Virgilio *ferrea seges telorum*; *Clypeatâ seges virorum*. Æn. 7. *atraque latè horrescit strictis seges ensibus*: cum seges propriè frugum sit. Et Georg. 2. *Nec galeis, densisque virum, seges horruit hastis*. Plinius: *Principium culmenque omnium rerum precii margaritæ tenent*. Cic. in Pis. *Gloria est fructus Virtutis*. Catul. *Quæ dulcem curis miscet amaritiem*. Virgilio *dicitur purpureum lumen juventæ*; Livio *dura legis conditio*. Curtius: *Nullum erga me benevolentiæ pignus, atque indicium omisistis*. Cic. Philipp. 2. *Hujus luctuosissimi belli semen tu fuisti*. Id. de Orat. *Neque verba sedem habere possunt, si rem subtraxeris*. Pulchrè Virgil. Æneid. 6. *Classique immittit habenas*. Catull. *Ubi iste post faselus, antea fuit comata silva*. Prudentius de S. Cassiano Martyre.

Doctor amarus enim discenti semper ephebo:
Nec dulcis ulla disciplina infantiæ est.

IV. Tertius fons est, quo *pro rebus animalibus inanima ponimus*, idest *animatis*

rebus tribuimus, quæ inanimis propria. Sic de Christi discipulis habemus in sacris Literis: *Vos estis sal terræ. Vos estis lux Mundi. Christi bonus odor sumus &c.* Sic dicimus hominem *durum, asperum, ferreum, sylvestrem &c.* In Evangel. apud Luc. c. 21. *Arescentibus hominibus præ timore.* Cic. ad Attic. *Res fluit ad interregnum, & est nonnullus odor Dictatoris.* Idem de clar. Orat. *Vir ut vita, sic oratione durus, incultus, horridus.* Id. Catilinam *pestem Reip. appellavit.* Æn. 7. *Urgeri volucrum raucarum ad littera nubem* pro denso avium grege, quarum volatu aër opacari videbatur Virg. Æn. libr. 6. *Duo fulmina belli Scipiadas.* Id. Georg. *& cæco carpitur igni.* Horat. *Contemptæ dominus splendidior rei?* Palingenius l.6. de fragil. hum. *Quid sumus, ò miseri, nisi pulvis motus ab aura.* Ex verbis passivis, vel intransitivis scaturit sæpè fons iste. Cœlius Cic. l. 8. ep. 37. *Id postquam resciit, & excanduit.* Martialis ab hoc fonte egregium habet Epigr. quod est 76. lib. 9.

Rumpitur invidia quidam, carissime Juli,
Quòd me Roma legit, rumpitur invidia.

V. *Ex quo factum est* (ait laudatus Mintur.) *ut audacius vel sensu vacantibus affectum quendam tribuamus:* undè quartus oritur fons Demetrio acceptissimus, quo rebus sensu carentibus, ac inanimis actum quendam, & animum damus. Ita dicimus *ridentia prata: natantes campos: flumina ripas mordentia: tempestates frementes: portum naves amplectentem: caveas sinuantes: incendium sidera lambens: Ætnam*

flam-

flammas eructantem : sic *mentientem vultum* dicimus : *luxuriosa frumenta* : *spumantia pocula pelagus lacessere*: *telum manu fugere* : *lenire, exasperare, mederi vulnera Reip. Bella undique latrantia*, Claudianus. Cic. pro Lig. *Quid tuus ille, Tubero, districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum?* Id. 3. Offic. *Nullum vinculum ad stringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt*. Ad Attic. *Valde me momorderunt epistolæ tuæ*. Tuscul. 4. *Morderi est optimum conscientia post commissum facinus*. Ibidem *Fœcunditas Orationis in adolescente optanda*. Ad Quint. Fr. *Natura, frons, oculi persæpè mentiuntur*. *Mordere* herba sapore acri dicitur à Plinio. Vinum tunc esse optimũ dicitur, *cum blandè mordet*. Egregium est illud Virgil. allatum à Quintiliano : *pontem indignatus Araxes* : ejusmodi est illud Æn. 1. de Ventis. *Illi indignantes magno cum murmure montis circum claustra fremunt* cum indignari, & fremere animalium sit. *latrantem stomacum*; lib. 2. Satyr. 2. dixit Horat. qui felicissimè in metaphoris audax ab eodem dicitur Quintil. & satyr. ult. jusdem libr. *Quæ prima iratum ventrem placaverit esca*. Vulgatum illud : *Auro loquente, nihil potest quævis oratio*. Virg. Georgicorum ab hac Metaph. initium sumit: *Quid faciat lætas segetes*. Id. l. 3.

labor omnia vincit
Improbus, & duris urgens in rebus egestas,
Item. *Alitur vitium, vivitque tegendo*. &
Currus agitare volantes. &

tra-

Georg. 3. *tractuque gementem*
Ferre rotam, & stabulo frænos audire sonantes.
Æn. 1. *Quando hæc te cura remordet.*
Id. 5.
Sed non iccircò flammæ, atque incendia vires
Indomitas posuere: udo sub robore vivit
Stupa vomens tardum fumum: lentusq; carinas
Est vapor: & toto descendit corpore pestis.
Ovid. de Pont. l. 1. Eleg. 5.
Nec tenet incertas alea blanda manus.
Silius. *Currit mortalibus ævum.* Val. Flac. *Spumea subsequitur fugientis semita clavi.* Eoban. Idyll. 14. *Semper abundantes pariunt fastidia mensæ.* Catul. *Exedit cura medullas.* Stat. *Domare æra dixit*: ideſt malleis tundendo mollire. Auson.
Quàm longa una dies, ætas tam longa rosarum;
Quas pubescentes juncta senecta premit.
In Psal. etiam habemus. *Zelus domus tuæ comedit me. Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula &c.* Ænigmaticæ præſertim locutiones hoc metaphoræ fonte plurimùm utuntur: ut ſuo loco notabitur. Notandum hîc demum eſt, brevitatem etiam nonnunquam hac translatione mirabiliter confici cum maxima expreſſione: ut in hac: *Telum manu fugit*: imprudentia enim emiſſi teli brevius, atque ſignificantius propriis verbis exponi non potuit, quàm eſt uno ſignificata translato.

Præ-

ALIA METAPHORARUM PARTITIO. Cap. III.

Præterea Cœlum dicenti, Elementaque cuncta
Et Meteora simul, quæ mixtis orta Elementis;
Quodlibet & præstat nobis translata metallum.
Quin sensus ipsi, queis dat natura vigere,
Quælibet atq; Artes hæc ornamenta ministrant.

I. PLacuit Ciceroni l.3. de Orat. alia Metaphoræ partitio: sed quemadmodum omnia flumina intrant in mare; ita omnia ista capita comprehenduntur in illis, & ad ea reducuntur. Attamen ne aliquid, quod è re sit, præterijsse videamur, hanc pariter exponemus. Et primo à *Cælo*, & rebus Divinis dicimus *Justitiæ Solem* servatorem nostrum Jesum Christum: *Stellam matutinam*, & *Auroram* ejusdem Virginem Matrem: *Stellas* etiam, & *lucem* Ecclesiæ Doctores &c. Sic etiam *Splendorem, & Divinitatem* ingenio tribuimus &c. Cic. de Orat. 2. *Homo divinus in dicendo*. Ad Quirit. *Divina quædam, & inaudita auctoritas atque virtus*. Ad Brut. *Res à te gesta est memorabilis, & pœnè cœlestis*. In Catil. *Hæc Urbs lux Orbis terrarum*. Id. Terentiæ. *Hem mea lux, meum desiderium*.

II. Ab *Elementis*: & primo ab igne, cujus sunt splendor, ardor, flamma, incendia, fuligo, fumus &c. Hinc dicimus *splendere* virtutem: molestiis *uri*: *exardescere* amore, irâ: *inflammari* cupiditate: *incendi* ad laborem: *fuliginem* dubitationum, *fumum* adulatorum &c.

Virg. Georg. *Cæco carpitur igni*.

Æn.

Æn. *Igneus est ollis vigor, & cælestis origo.*
Uritur infelix Dido, flammamque fatetur.
Cic. de Legib. *Tanta est corruptela malæ consuetudinis; ut ab ea tanquam igniculi extinguantur à natura dati.* De clar. Orat. *Ardor animi non semper adest: idque quum consedit, omnis illa vis & quasi flamma orationis extinguitur.* Ibid. *Magno ardore inflammatum esse in patriam.* In Pison. *Non extinctor, sed auctor incendii.* De Orat. *Motus animorum inflammare, & extinguere.* In Verr. 3. *Communi præsidio talis improbitas, tanquam aliquod incendium, restinguenda est.* Epist. lib. 11. *Cæsar à Crasso in me est incensus.* De offic. 1. *Inflammatus cupiditate vincendi.* Suet. *Urebant anxiam mentem varia undique convitia.* Quintil. lib. 11. *Fuligo lucubrationum bibenda.* Horat. lib. 3. od. 29.

Omitte mirari beatæ
Fumum, & opes, strepitumque Romæ.

II. Ab *aëre*, qui serenus, clarus, tranquillus, nubilus, obscurus, tenebrosus, caliginosus, ventosus, &c. Hinc *serenam* mentem, *tranquillos* appetitus, *præclarum* ducem, *nubilum* animum, *obscurum* scriptorem, *ventosum* aulicum dicimus &c. Auctor ad Heren. *Falsi amici sereno vitæ tempore præsto sunt.* Cic. 3. Tusc. Frons tranquilla, & serena. De senect. *Virtus clara, & insignis.* In Pison. *Frontis tuæ nubeculam pertimescerem.* Pro Dom. sua. *Nubes Reip.* Ibid. *Quæ tu in illis Reipubl. tenebris, cæcisque nubibus, & procellis constituisti.* In Verr. *Obscurat magnitudinem periculi lucrum.* 1. Tuscul. *Et hæc indoctorum animis offusa caligo est.* Brut. ad

Cic.

Cic. *In primis rogo te ad hominem ventosissimum, Lepidum mittas.* Horat. lib. 3. od. 25.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus.

Ovid. Trist. lib. 1. eleg. 1.

Carmina proveniunt animo deducta sereno:
Nubila sunt subitis tempora nostra malis.

III. Ab *Aqua*, cujus sunt mare, fontes, flumina, rivi, lacus, putei, pluviæ, inundationes, voragines, vortices, fluctus, procellæ, scopuli, syrenes, naves, littora, portus &c. Hinc in vitæ navigatione dicemus *Oceanum* Divinæ Misericordiæ: *fontem* regenerationis: *rivos* lacrymarum: cœlestium gratiarum *flumina*: *lacus* miseriarum: *puteos* ignorantiæ: *pluvias* calamitatum: tentationum *inundationes*: malarum occasionum *voragines*: *vortices* insidiarum: morborum *fluctus*: ærumnarum *procellas*: *scopulos* difficultatum: *syrenes* illecebrarum: *navim* Sacramentorum: *littora* consiliorum: *portum* salutis &c. Cic. de Orat. l. 2. *Rerum fontes non videre, & rivulos consectari, tardi ingenii est.* Idem. *Flumen orationis, & varietas.* Id. pro Planc. *Campus & undæ illæ Comitiorum.* In Verr. *Immensa aliqua vorago, aut gurges vitiorum.* de Invent. 1. *Sedatis fluctibus, & tempestate commutata.* Pro Dom. *Patriæ procella, turbo, ac tempestas pacis.* Pro Rabir. *Nec tuas unquam rationes ad eos scopulos appulisses, ad quos Sex. Titii afflictam navem, & in quibus C. Deciani naufragium fortunarum videres.* De orat. 3. *Oratores autem in inferum hoc Tuscum, & barbarum, scopulosum atque infestum laberentur, in quo etiam*

Ulisses

Ulysses errasset. Tusc. Q. 1. *Paratum nobis portum, & perfugium mortem putemus*. Virg. *Vomens calidum de pectore flumen*. Id. lib. 12. *Tempestas telorum, & ferreus ingruit imber*. Ovid. de Pont. l. 2. eleg. 5.

Distat opus nostrum, sed fontibus exit ab iisdem. Idem.

Spargebat tepido flebilis imbre genas.

IV. A *Terra* in quâ viæ, semitæ, campi, prata, montes, colles, planities, valles &c. Hinc dicimus *viam* mandatorum currere: per *campos* deliciarum expatiarī: *prata* luxuriæ vitare: *montem* contemplationis ascendere: *planas*, ac *tritas* consuetudines amare: lacrymarum è *valle* discedere. Dicimus etiam *fœcundari* mentem, ingenium *sterilescere*: nil nisi *terram* sapere &c. In sacris literis: *Vias peccatorum disperdet. Omnis mons, & collis humiliabitur. Viam mandatorum cucurri cum dilatasti cor meum*. *Ego sum via*, de se ait Christus. Sanctus Gregorius homilia 33. in Luc. 12. *Aperta est vobis lectio recitata: sed ne aliquibus ipsa ejus planities alta fortasse videatur, eam sub brevitate transcurrimus*. Cic. de clar. Orat. *Ut eam laudis viam rectissimam esse duceret, quam majores ejus ei tritam reliquissent*. In Verr. *Jam intelligetis, hanc pecuniam, qua via modo visa est exire ab isto, eadem semita revertisse*. Acad. quęs. *Cum sit enim campus, in quo possit exultare oratio*. Philip. *Magnus est in Rep. campus, ut sapienter dicere solebat Crassus; multis aptus cursus ad laudem*. Virg. 1. Æneid. *Præruptus aquæ mons*. Catul. *Alarum vallis*:

Eobanus.

Diffi-

Difficiles ſunt namque viæ, durique labores
Muſarum.

Habet præterea tellus tribulos, ſpinas, rubos, fœnum, herbas, germina, frutices, arbores, vites, flores, fructus &c. Sic dicimus aliquem in *tribulis*, ac *ſpinis* tribulationum jacere: *fœnum* humanæ gloriæ, ac felicitatis brevi areſcere: mundanos homines *herbam* eſſe, ac niſi *evellantur* per mortem à *terra* ſeparari non poſſe: *arbores comatos*, *ac infructiferos* eſſe ambitioſos: *palmites* à Chriſto ſeparatos, qui *Vitis* eſt, eſſe hæreticos: *florem* juventutis brevi marceſcere: *fructum* ſibi ipſi virtutem eſſe &c. Cic. de finib. lib. 4. *Panæſius nec acerbitatem ſententiarum, nec diſſerendi ſpinas probans*. Ezech. *Et erunt in Cedrum magnam*. Pſal. 7. *Poſuerunt Jeruſalem in pomorum cuſtodiam*. Eccleſ. 24. *Flores mei fructus honoris, & honeſtatis. Sæpi autem ſuam ſpinis &c.*

V. A *Meteoris*, ideſt mixtis imperfectis, quæ, ut docet Ariſtoteles, in aëre generantur per exalationem ex terrâ, aut aquis. Horum alia *ignita* ſunt, alia *humida, mixta*, & *aquoſa*. Ignita ſunt tonitrua, fulmina, ſtellæ crinitæ, & cadentes, titiones, candelæ, capræ ſaltantes, Cometes &c. De his Lucanus lib. 1.

Ignota obſcuræ viderunt ſydera noctes,
Ardentemque polum flammis, cœloque volantes
Obliquas per inane faces, crinemq; timendi
Syderis, & terris mutantem regna cometem.

Aquoſa verò ſunt ros, pruina, nix, grando, nebula, caligo &c. Sic dicimus oculos

cali-

caligare : mentem, aut frontem *obnubilari* : *imbre*, *nimbo* verborum obruere : verberum, vulnerum *grandine* opprimere : *niveum* corde pudorem servare : teneram juventutem libidinis *pruina* peruri, & consumi: *rorem* eloquii emittere: cœlestis gratiæ *rore* nutriri. Ita pariter dici possunt *Capræ saltantes* Reip. inquieti, & novitatis amici : *Candelæ* qui bonis ipsam illustrant operibus : *titiones*, qui ad aliud utiles non sunt, quàm ad excitanda incendia seditionum: *crinitæ stellæ*, qui ingenium in Reip. damnum occupant: *cadentes*, qui post plura bona aliquod enorme patrarunt facinus: *fulmina*, qui velociter & quasi ictu oculi res sibi commissas expediunt: *tonitrua*, qui multum rumoris faciunt, timoremque incutiunt. In Orat. *Pericles ab Aristophane Poëta fulgurare, tonare, permiscere Græciam dictus est*. Philipp. *Quæ porro illa tonitrua? quæ tempestas?* Ad Attic. 4. *Fulmen Litterarum*: pro Cornel. *Imperii nostri duo fulmina Cn. & P. Scipiones*. pro Domo sua. *Quæ tu in illis Reip. tenebris, cæcisque nubibus, & procellis constituisti*. Tuscul. Quæst. lib. 5. *Hæc indoctorum animis offusa caligo est*. Ovid. *Oculis quoque pupula duplex Fulminat, & geminum lumen in orbe manet*. Scribunt enim naturales, noxii visus esse, qui geminâ pupillâ præditi sunt.

VI. A *Metallis*, quæ numerantur *aurum*, *argentum*, *æs*, *ferrum*, *plumbum*, *argentum vivum* : his adjacet *electrum*, quod ex auri, & argenti permistione coalescit; *stamnum* verò quid medium argenti, & plum-

plumbi naturâ putatur. Nota, incensâ Corintho, aurum, argentum, æs in unum fluxisse: undè ea emersit mixtura, quam *æs Corinthium* vocarunt.

1. Ab *auro* Cic. *aureum genus*. Virg. *aurea secula*. Catull. *aureæ horæ*. Virg. Æn.8. *Aurea cesaries illis, atque aurea vestis*. ubi *vestem* dixisse vatem pro *barba*, affirmat Servius, Germanus, Gifanius, & docti quique: ut notat Ludovic. de la Cerda. Cic. Acad. quæst. *Flumen orationis aureum fundens Aristoteles*. id. ad Octav. *Aureus partus*. De natur. Deor. *Illo aureo genere, ut poëtæ loquuntur*: ibidem *Aureola oratiuncula*. Acad. quæst. *Aureolus libellus*. Lucret.

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant;
Omnia nos itidem depascimus aurea dicta:
Aurea perpetua semper dignissima vita.

Calphurnius. *Aurea secura cum pace renascitur ætas*.

2. Ab *argento* Cic. *argenteum flumen*. Sic vocem *argenteam*, pro clarâ, & sonorâ: *argenteos* crines, pro canis dicimus. Virg.Æn.8.

Atque hic auratis volitans argenteus anser
Porticibus.

Propert.lib.4. eleg.4. *Argentea lilia*.

4. A *ferro* Virg. Georg. 2. *ferrea vox*. Cic. in Pison. *ferreum os* dixit pro impudente. Epist. fam. 15. *Ferreus essem, si te non amarem*. Virg. Eclog. 4. de Octaviano Augusto.

Tu modò nascenti puero, quo ferrea primùm
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina.

Tibull. lib.1. eleg.

Quis

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quàm ferus, & verè ferreus ille fuit!

3. Ab *ære* Horat. lib. 1. od. 3.

Illi robur, & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem Primus: ideſt ille erat animo penè æneo, aut ferreo (æs enim pro quocumque etiam accipitur metallo) atque adversùs omnes terrores maximè communito, qui primus navigare auſus eſt: ut explicat Lambinus.

5. A *plumbo* plumbeus homo apud Terent. ideſt hebes, rudis, obtuſus. ſic plumbeum ingenium. plumbeum eſſe in negotiis. plumbea facies, ideſt livida. Plautus plumbatas iras dixit, graves, & quæ facilè uon obliterantur. Hor. *auſter plumbeus, ideſt gravis*. Cic. 4. de finib. *O plumbeum pugionem!* ideſt argumentum frigidum. Id. ad Attic. *Quum illum plumbeo gladio jugulatum iri tamen diceret*. De finib. 4. *In animi autem cognitione dubitare non poſſumus; niſi planè in phyſicis plumbei ſimus*.

VII. A *ſenſibus* qui ſunt *viſus*, *auditus*, *guſtus*, *odoratus*, & *tactus*. & primò *à viſu*, ad quem pertinent oculi, pupilla, lux, lumen, tenebræ, colores omnes, cernere, diſcernere, pulchrum, turpe, deforme, horrendum &c. Hinc *pupilla oculorum* pro dilectiſſimo: vox *turpis*: *turpes* mores: *turpe* genium: mens *cæca*: *deformis* conſcientia: animæ *pulchritudo*: alicujus *voluntatem* videre: futura *proſpicere* &c. Pſalm. *Oculi mei ſemper ad Dominum*, ideſt *mens*, & *animus*. Cic. in Oratore: *Aſpera*, *triſtis*, *horrida oratio*. In Catil.

Cerno

Cerno animo ſepultam patriam. Item in Orat. *Horridè, incultè dicere, vel vivere.* Offic. 1. *Luxuria verò tum omni ætati turpis, tum ſenectuti fœdiſſima eſt.* Pro Font. *Vita turpis, & infamis.* De Orat. *Deformata ignominia imago.* Euripid. in Troade. *Gloria non turpis urbi fortiter periiſſe.* Virg. 6. Æneid.

Et metus, & malè ſuada fames, & turpis egeſtas.

Item. *Nec auras*

Reſpiciunt clauſæ, tenebris, & carere cæco.

2. Ab *auditu*, cujus eſt vox, ſonus, loquela, cantus, murmur, rumor, fremitus, clangor, ſtrepitus, ſtridor, muſica, melodia, cantus, concentus, harmonia. Item Orphæus, muſici, muſæ, carmina. Item tubæ tympani, organa, tybiæ, arundines, lyræ, cytharæ, cymbala, ſambucæ, teſtudines, nervi, plectra, fides &c. Cic. de nat. Deor. *Aër nobiſcum videt: nobiſcum audit: nobiſcum ſonat.* De offic. *Sic vivendum eſt, in vita ne fortè quid diſcrepet: vel multò etiam magis, quo major, & melior actionum, quàm ſonorum concencentus eſt.* Ibidem lib. 3. *Honeſtate igitur dirigenda utilitas eſt: & quidem ſic, ut hæc duo verba inter ſe diſcrepare, re unum ſonare videantur.* Aratus.

Nec metuant canos minitanti murmure fluctus,

Virg. Æneid. 8.

Et rauco ſtrepuerunt cornua cantu.

3. A *guſtu*, ad quem ſpectat guſtare, edere, deglutire, exorbere, vorare, devorare, inebriari, vomere. Item cibus, potus,

rus, vinum, aqua: ſapidum, inſipidum, dulce, amarum, acerbum, maturum, aſperum, acre: appetentia, inappetentia, fames, ſitis, jejunium, voracitas, ſobrietas, ingluvies. In ſacris Litteris: *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam; quoniam ipſi ſaturabuntur*, aic Chriſtus Dominus in Euang. *Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus ſuſtinuit*, de Cruce canit Eccleſia. Cic. Philipp. 2. *Guſtaras civilem ſanguinem, vel potiùs exſorbueras*. De Orat. *Dulcedo orationis*. In partit. *Suavitatis multa præcepta orationem obſcuram, aut minùs probabilem reddunt*. In Piſon. *Ille gurges, atque heluo natus abdomini ſuo, non laudi, atque gloriæ*. Item *Pompejus non guſtarat iſtam tuam philoſophiam*. Virg. Æneid. 3.

Quid non mortalia pectora cogis,
Auri ſacra fames? Ecl. 3. *Quiſquis amores.*
Aut metuet dulces, aut expietur amaros.
Georg. 3.
Et dulces animas plena ad præſepia ducunt.
Æn. 1. *Longumque bibebant amorem.*

4. Ab *odoratu*, à quo habemus nares, odorem, odorari, ſubodorari, olere, putere, fetere, olfacere: ad hoc unguenta, balſama, opobalſama, aromata &c. In Sacris: *Chriſti bonus odor ſumus. In odorem unguentorum tuorum currimus &c.* Cic. de Orat. *Odor urbanitatis*. Item. *Odoror quàm ſagaciſſimè poſſum, quid ſentiant judices*. Item. *Odore aliquo legum recreatus*. Pro Roſc. *Nonne ipſum caput, & ſupercilia illa penitùs abraſa olere malitiam, & clamitare calliditatem*

tatem videntem? In Pis. *Hic autem jacebat in suo Græcorum fœtore, & vino.* Ad Attic. lib. 6. *Illud præterea musicoteron ad te scribam: tu sagaciùs odorabere.* Horat. lib. 1. Satyr. 4. *Emunctæ naris*, vocavit Lucilium Satyræ inventorem: ideſt sagacem, & acri judicio hominũ mores, & vitia odorantẽ. Id. Sat. 3. *Minùs aptus acutis Naribus horum hominum.* Id. lib. 1. Epistolar. *Sed nimis arcta premunt olidæ convivia capræ.* ubi *capra* pro inhonestâ muliere.

2. A *tactu*, ad quem spectat tangere, attingere, palpare, premere, durum, lene, molle, asperum, rude. Item portare, sustinere, trahere pondus, onus, jugum, grave, leve, &c. hinc dicitur *palpare* pro adulari: *asperi* mores, *aspera* lingua, *dura* cervix. *Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere*: ait Christus de Pharisæis. Cic. de Orat. *Mollitudo humanitatis.* Item. *Neque ulla eſt temperatior oratio, quàm illa, in qua asperitas contentionis Oratoris ipsius humanitate conditur.* Apud Lucilium de gladiatorum magistro:

Quamvis bonus ipse
Samnis in ludo, ac rudibus civis satis asper.

Virg. 1. Æneid.

Aspera tum positis mitescent sæcula bellis.

Marull.

Ut rudibus pueris monstratur litera primum.

Mantanus.

Currere in ætatis gravia infortunia nostræ.

Ovid.

Molle meum levibus cor eſt violabile telis.

Horat. lib. 2. Satyr. 1. de Cæsare.

Cui male si palpare recalcitrat undiq; tutus.
Ideſt blanditias, & aſſentationem aſpernatur, ac reſpuit: translatione etiam deſumptâ ab equis calcitroſis. Idem lib. 1. Satyr. 7.
Durus homo, atque odio qui poſſet vincere Regem.
VIII. Ab *Artibus* tum liberalibus, quæ hoc verſu continentur:
Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, aſtra.
Tum Mechanicis, quæ ſequenti:
Rus, nemus, arma, rates, & vulnera, lana, faberque
Hinc dicitur ex liberalibus, nempè ex Grammatic. *nomen* bonum pro bona fama: habent & Cæli *linguam* ſuam. ex Rethor. oculorum *ſuadela*: lacrymarum *facundia*: auri *eloquentia*. ex Logic. telorum *argumenta*: illecebrarum *fallaciæ*. ex Poët. *numeris omnibus* abſolutum dicimus perfectum virum: Continere omnes *numeros* virtutis. *In quadrum numerum* ſententias redigere. ex Muſic. Virtutum *concentus*: legum *harmonia*: *harmonicum* corpus. i. pulchrum juxta mentem Platonis, qui pulchritudinem proportionem eſſe membrorum dixit. ex Mathem. *Centrum* hominis Deus eſt. *Lineam* tranſilire pro peccare: lapis *angularis* dictus eſt Chriſtus. *quadratus* homo idem ac perfectus. Ex Aſtronom. *apogeum* dignitatum conſcendere: virtutum *eclipticam* percurrere: ſanguinis, ac virtutis nitore *ſplendeſcere*: virtutum *radios* immittere: *eclipſim* pati: intelligentiæ, vel activitatis *ſpheram* prætergredi &c.
Ex

Ex mechanicis, quæ uberiorem, ac faciliorem ad translationes materiem præstant, & primò ab agriculturâ dicimus *incultam* juventutem: ingenium, & artes *colere*: vitiorum *radices evellere*: hostes *extirpare*: amorem animo *inserere*. In Sacris: *Qui seminant in lacrymis in exultatione metent*. *Messis quidem multa; operarii autem pauci &c.* Cic. de clar. Orat. *Animi non omnes culti fructum ferunt*. pro Arch. *Ego verò omnia, quæ gerebam, jam tum in gerendo spargere me, ac disseminare arbitrabar in Orbis terræ memoriam sempiternam*. Tusc. 4. *Perturbationes extirpandas putamus*. de amic. *Nisi ex ejus animo extirpatam humanitatem arbitremur*. Virg. 3. Æneid.

Polydorus ego. hic confixum ferrea texit
Telorum seges.

Ovid. de Pont. l. 2. el. 5.

Artis & ingenuæ cultor uterque sumus.

A venatoria, aucupio, & piscatu. Laudes *venari*: *aucupari* incommoditates: *laqueum* injicere: *retia* parare: difficultates *expiscari*. In sacris. *Arcum tetendit, & paravit illum*. Auth. ad Heren. *Venari laudem modestiæ*. De nat. Deor. 1. *Venator, speculatorque naturæ physicus*. In Verr. 6. *Mirandum in modum Canes venaticos eos diceres: ita odorabantur omnia, & pervestigabant*. Plaut. milit. 10. *Venator adest nostris consiliis, cum auritis plagis*. ubi idem *Venator*, ac explorator, & insidiator. Idem in Bacchid. 1. *Piscatus meo animo hic tibi hodie evenit bonus*. A militari. studiorum *concertationes* inire: verbis *digladiari*: obsequiorum *obsidione* vinci: animum *expugnare &c.*

Cic. de finib. lib. 1. *Concertationes in disputando pertinaces indignæ philosophia.* Tusc. quæst. l. 1. *Cum eorum vita mirabiliter pugnat oratio.* Virg. 1. Æneid. *Longum per valles pascitur agmen.*
Et paulum infra.
Nec prius absistit, quàm septem ingentia victor
Corpora fundat humi, & Æn. 12.
Tum demum movet arma Leo.
A nauticâ, ad virtutem *velis, remisque* contendere: *portum* solitudinis optare: difficultatum *scopulos* declinare: justitiæ *clavum* regere &c. Cic. ad Papyrium Pætum l. 9. 15. *Sedebamus in puppi, clavumque tenebamus: nunc autem vix est in sentina locus.* de Senect. *Ille autem clavum tenens quietus sedeat in puppi.* Pro Sestio: *Quos repentina aliqua vis, & tempestas, perculit popularis.* in Cat. *Quanta tempestas invidiæ impendeat.* pro Domo sua: *Tu procella patriæ, turbo, & tempestas pacis.*
Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.
Ovid. de Pont. l. 2. eleg. 7.
Cæpta tene quæso, nec in æquore desere navem:
Meque simul serva, judiciumque tuum.
Catull. *Absortus vortice amoris.*
A medicâ cõscientiæ, patriæ, reip. *vulnera* curare, fovere, lenire refricare exasperare. Cic. famil. lib. 15. 22. *Vulnus injuriæ, sanandum*: pro Cælit. *Vulnus in moribus, aut natura.* ad Att. 5. 33. *Vulnus imponere provinciæ.* ad eund. 12. 19. *Quæ res forsitan sit sit refricatura vulnus meum.* In Pison. *Major hæc est vitæ, famæ, salutis suæ vulneratio.*
Virg. Eclog. 8.
Talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.
1. Æneid.

1. Æn. *Cùm Juno æternum servans sub pectore vulnus.*
& 12. *Exsuperat magis, ægrescitq; medendo.*
A Textoriâ. Orationis *telam ordiri*: Historiam *texere*: mendacia verbis *vestire &c.* iniquitatis hypocrisis *velo* tegere. Cic. ad Att. 4. 50. *Paulus in medio foro basilicam jam penè texuit iisdem antiquis columnis.* ad Pætum l. 9. 48. *Epistolas verò quotidianis verbis texere solemus.* de Orat. *Inventa vestire, atque ornare.* In Verr. *Triumphi nomine tegere, & velare cupiditatem suam.* ad Q. frat. 11. *Multis enim simulationum involucris tegitur.* Flor. de Camp. Neap. *Hic amicti vitibus montes Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcherrimus omnium Vesuvius Ætnæ ignis imitator.* Virg. Georg. 2.

Atque olea magnum vestire Taburnum.

Claud. de raptu.

Itur in æterno vestitos gramine campos.

A Fabrefactoria. dolos *machinari*: conjurationem *moliri*: imposturas *architectari*: moribus *ædificare*: pravas consuetudines *destruere*: verbis *ædificare*; exemplis verò *destruere*: orationem *limare*: actiones ad rationis *limam* revocare. Cic. Volumnio l. 7. *Opus est hic limatulo, & polito tuo judicio.* i. terso, & subtili. pro leg. Manil. *Qui postea quam maximas ædificasset, ornassetque Classes.* pro Arch. *An cum statuas, & imagines, non animorum simulacra, sed corporum, studiosè multi summi homines reliquerint: consiliorum relinquere, ac virtutum nostrarum effigiem nonne multò malle debemus summis ingeniis expressam, & politam?* idem de clar. Orat. *Habuit a natura genus quod-*

dam acuminis, quod etiam arte limaverat. 4. Acad. *Nihil est clarius energia, ut Græci: perspicuitatem, aut evidentiam nos, si placet, nominemus: fabricemurque, si opus erit, verba.* 1. de Orat. *Orationis faciendæ, & poliendæ ignarus.* 1. de Finib. *Non satis politus bonis artibus.* Quintil. l. 2. *Multum indè decoquent anni; multum ratio limabit.* Horat. l. 1. satyr. 10. de Lucilio.

Fuerit limatior idem
Quàm rudis. Ovid. 1. de Pont.
Scilicet incipiam lima mordaciùs uti:
Ut sub judicium singula verba vocem?

IX. Nihil tandem est in rerum naturâ: ut ait Cic. lib. 1. de Orat. cujus nos non in aliis rebus possimus uti vocabulo, & nomine: undè enim simile duci potest (potest autem ex omnibus) indidem verbum unum quod similitudinem continet, translatum, lumen afferet orationi: quo quidem modo in singulis verbis nullus est florentior: ut eodem libro idem affirmat Cicero.

Notat Minuturnus, Metaphoram interdum duplicari: ut apud Virg. Æn. 9. *Ferrumque armare veneno.* & 10. *calamos armare veneno.* neque enim propriè ferrum, calamosque armari dicimus, neque etiam veneno. Talis etiam apud Claud. lib. 2. de raptu.

Ter cardine verso
Præsagæ cecinere fores: ter conscia fati
Flebile terrificis gemuit mugitibus Æthna.

quibus in locis videre facile est quantum expressionis augeat duplicata translatio.

AD-

ADMONITIO.

Pleraque laudandus translata reciprocat usus;
Cœlorum flores, pratorum sydera dicens.
Non tamen hæc semper poteris mutare vicissim.

Reciprocâ verborum translatione stellas dicimus Cœli *flores*, & flores Terræ *Stellas*: *gemmantem* floribus hortum, & *florentia* littora gemmis. In omnibus tamen talis non est proportio, quâ converti possit metaphora. Itaq; si Virg. Æn. 6. dixit *semina flammæ*; quis audeat dicere *flammam seminis*? Sic linguam *flabellum seditionis* dixit Cicero pro Flac. non tamen æquè benè seditio dici potest *flabellum linguæ*. Virg. in Buc. *Florida quum tellus gemmantes picta per herbas*. Id. Georg. 1. *Ac prius ignotum ferro quam scindimus æquor*: idest terram à planitie; quod propriè dicitur de mari. *Quid tam planum, quàm mare? ex quo etiam æquor illud poëtæ vocant*, ait Cic. in Acad. quæst. *Cœli æquora* etiam apud poëtas habemus.

METAPHORAE VITIA.
Cap. IV.

Necessitas ex carentiâ proprii vocabuli, vis rem significantiùs exprimendi, & exornatio, ut supra dixi, sunt causæ translationis. Quum ergo nihil horum præstabit, inutilis, ac vitiosa est habenda; & orationem potiùs deturpat, quàm ornet. Ea propter quatuor prima-

ria vitia, virtutibus hisce contraria, metro, ex instituto, hic expressa.

Sensu dura nimis, nimiumque remota caveto.
Ne nimio majus nostram notetur in artem;
Quod fœdum sapiat, sapiat quod vile, repelle.

I. Primum Metaphoræ vitium est, *si dura sit, & violenta*: propter dissimilitudinem, quam Cic. ubique, ac præsertim 3. de Orat. detestatur: ut *cæli ingentes fornices* Ennii: quamvis enim sphœram in scenam, ut dicitur, attulerit; tamen in sphœra fornicis similitudo non potest inesse. Tale est Plauti *lippire dentes famelicos*, ab oculis lippitudinem transferentis. Durum est *rostrum* pro *ore fluminis* dicere: durũ *capitis vellera* pro *capillis*; & his similia. Hujus vitii Demosthenem Aeschines incusat, eum ait non *verba* effundere, sed *portenta*. Attamen duritiem hanc Epithetis, vel aliis adjunctis, emollire poterimus: *Si vereare*, ait Cic. lib. 3. de Orat. *ne paullo durior translatio esse videatur: mollienda est præposito sæpè verbo: ut si olim M. Catone mortuo, pupillum Senatum quis relictum diceret, paullo duriùs: sin, ut ita dicam, pupillum, aliquanto mitiùs est.* Etenim verecunda debet esse translatio, ut deducta esse in aliorum locum, non irruisse: atque ut precario, non vi, venisse videatur. Durum est Tonitruum *Tubam* appellare? dicamus *salutarem*, vel *cœlestem Dei tubam*: & benè audientium animis insonabit. Dicamus *Evangelicam tubam*, & Sacros Oratores notabit. Durum est, & obscurum *Mundum* per translationem *canticum* dicere?

cere? Sed si cum Augustino Mundum *Dei canticum* nuncupabimus; mirabilem, & supra omnem symphoniam suavem rerum omnium concentum statim percipiet auditor. De Mundi sonitu ita Cic. in Somn. Scip. 19. *Sonitus totius Mundi in citatissima conversione tantus est; ut eum aures hominum capere non possint.*

II. Vitium secundum est, si *longiùs quam par est, ducatur similitudo.* Hinc Cic. 3. de Orat. patrimonii *scopulum* potiùs, quàm *Charybdim* vult prodigum dici: cujus ratio est, quòd

Segniùs irritant animos demissa per aures;
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

Syrtim & Charybdim pauci noverunt: scopulos & voragines multi. A longinquo ducta esset, si diceres *magnum librorum, scelerum lapidum populum*; quamvis enim, qui hominum est proprius *populus*, de brutis dici queat, ut piscium *aquaticus*, avium *aëreus*, apium *mellifluus populus*; id tamen non valet de inanimis. *Persium longè petitæ metaphoræ obscurum fecerunt*, inquit Anton. Lull. Orat. lib. 6. c. 14. In eadem navi fuit Lucret. teste Turnebo lib. 6. c. 24. ubi *Glaciem æris*, dixit audaciâ in loquendo penè temerariâ, pro *soliditate*. Longè quoque petita translatio à Martiali ubi l. 8. ep. 80. *Sæcula cana* dixit; ab Ennio similiter ubi *Irarum quadrigas*; ab Horatio, cùm ventos *equitare undas* scripsit. Et illo

Juppiter hybernas cana nive conspuit alpes.

III. Tertium vitium, *si per translationem plus nimio exprimamus*, aut certè, quod sæpiùs accidit, *minus, quàm res postulet.*

Debet enim esse conveniens rei, quam significamus, &, ut inquit Cicero, verecunda; nam translata nimis audacia, repudiantur ab auribus. Tale esset, si *commessationis* diceres *tempestatem*: tempestas enim multo amplior res est, quàm exigat commessatio. Oppositum vitium esset, si diceres *Tempestatis commessationem*: debet enim metaphora plus valere eo, pro quo ponitur; ut docet Quintilianus: & ex Demetrii sententiâ, magnitudinem & voluptatem orationi debet afferre: hæc autem deprimit. Neque angustius debet esse translatum verbum, quam proprium: ut illud Accii ex Atræo: *Quidnam est, obsecro? quod te adixi abnutas.* melius esset, *vetas, prohibes, absterres.*

IV. Quartum vitium est, si *quid turpe, ac sordidum repræsentet.* Non enim, quia Cicero rectè *sentinam Reip.* dixit, fœditatem hominum significans; idcircò probandum est vetus illud: *Persecuisti Reip. vomicas.* Undè Cic. lib. 3. de Orat. *Nolo, morte dici Africani castratam esse Remp. Nolo stercus curiæ dici Glauciam.* quamvis sit simile, tamen est in utroque deformis cogitatio similitudinis.

Hac de re ità idem Quintil. lib. 8. cap. 3. *Vel hoc vitium sit, quod Cacophaton vocatur: sivè mala consuetudine in obscœnum intellectum sermo detortus est: ut patrare bellum apud Sallustium, dictum sanctè, & antiquè, ridetur à nobis: quam culpam non scribentium quidem judicio, sed legentium: quatenùs verba honesta moribus perdidimus: & evincentibus etiam vitiis cedendum est.* Modestiæ, ac hone-

honestatis monita christiani ab ethnico scriptore ne dedignemur excipere. De hoc ipso vitio à D. Hieronymo notatus fuit Rufinus, cum scripsit: *Et indignaris, si putidè te loqui arguam; quum comœdiarum turpitudines, amatorumque, ludicra Ecclesiasticus scriptor assumas.* Quod turpe, id inornatum censent; ideòque cum cogimur minus honesta significare, circuitione uti debemus.

VITIA CIRCA USUM METAPHORAE. *Cap. V.*

Translato à verbo nomen ne discrepet unquam.
Ipsius immodicus nobis fugiendus, at usus.
Orator ne sibi, quæ sunt concessa Poëtis
Sumat, & Historicus? Vitium hoc vitare memento.
Quodlibet audendi Vati datur ampla potestas:
At reliquis æquè scriptoribus ista negatur.

I. CUm translatione aliquâ uti cœpimus, verbum nomini, nomen verbo aptè accomodemus: ac tandiu persistamus in ipsâ metaphorâ, donec sententia aptè concludatur. Ita tradit Fabius l. 8. c. ultimo in hæc verba. *Id in primis est custodiendum, ut quo ex genere cœperis translationis, hoc desinas. Multi enim cum initium à tempestate sumpserunt; incendio, aut ruina finiunt, quæ est inconsequentia rerum fœdissima.* Idipsum habet Muretus Catullum. *Aiunt*, inquit, *vitiosam esse semel susceptam metaphoram non perducere ad extremum, neque in ea insistere, sed ab una ad aliam transilire.* Metaphoræ non insi-

steret v. g. si quis diceret: *Magnis fluctibus agitatur Resp. Vos, quibus ipsa commissa est, his fluctibus mederi debetis, aut hos fluctus extinguere*; vitiosus esset usus translationis: debuit dicere: *hos fluctus sedare debetis*. Videmus tamen id non semper servatum. Hannardus Gomerius.

Testis erit Cicero, magnæ lux maxima Romæ.
Qui bonus orator Græcis è fontibus hausit
Eloquii dulcem suadentis cuncta medullam.

Sed & idem Cicero tali usus est interdum libertate: quæ tamen vobis adhuc usurpanda non est.

II. Copia quoque Metaphoræ modum egressa vitiosa est, præcipuè in eàdem specie. Ut modicus enim, atque opportunus illius usus illustrat Orationẽ; ita frequens & obscurat, & tædio complet: continuus verò in Allegoriam, & ænigma transit. Frequentior ergo si fuerit, dithyrambos scribemus, non orationes, ut ait Caussinus lib. 7. cap. 19. Porcius latro de hac nimiâ frequentiâ sic ait: *Summa est dementia detorquere orationem, cui rectam esse licet*. Verùm hac de re infra, cùm de allegoriâ.

III. Cæterùm pessimus error est, cùm convenire prosæ putamus, quæ permittuntur poëtis, qui & omnia ad voluptatem referunt, & plurima vertere etiam metri necessitate coguntur. Nam prosa, ut *mucronem* pro *gladio*, & *tectum* pro *domo* recipiet, ita non *puppim* pro *navi*; nec *abjetem* pro *tabellis*; & rursus ut pro *gladio*, *ferrum*; ita non pro *equo quadrupedem*. Non debet ergo solutâ oratione scribentibus esse nimis audax metaphora: quâ in re

pluri-

plurimi peccant, qui ingenio pollent, sed non judicio. Hujus tamen erroris præceptores culpandos censemus, qui poëtico potiùs genio indulgentes, quàm oratoriæ artis præceptis, auditores talibus imbuunt ideis, à quibus postea recedere non facilè sit. Quemadmodum ergo quælibet personarum ætas, & quælibet conditio proprios habitus, propriosque ornatus habet, ita quodlibet scribendi, ac dicendi genus.

IV. Peccatur etiam circa usum Metaphoræ ratione improportionis: ut si quis Solem *candelam* dicat. Aliæ translationes vitiosæ censentur ratione materiæ: ut sunt illæ desumptæ à rebus sordidis. Aliæ ratione obscuritatis, quæ provenit. Primò quia supponat cognitionem alicujus qualitatis minùs notæ: ut si quis instabilem quempiam *Cycladam* dicat: Cycladas enim Insulas motari, non omnibus in confesso est. Si quid ergo hujusmodi lubeat proferre, ex antecedentibus, aut consequentibus adducenda Metaphoræ, claritas. Contra hujusmodi claritatem peccasse Paulum Tertium asserit Aloysius Juglares in suo libello, cui titulus: Ariadne Rhetorum, observ. 26. Mediolanum siquidem Pontifex ille dixerat Helenam esse Italiæ; innuens tot bellorum inter Cæsarem, & Gallos fuisse originem: quod rejicit laudatus Auctor dicens: translationem à proprietate in re minùs cognitá deductam: cùm Helena formæ venustate, quàm origine belli, sit notior. Verùm pace tuâ dixerim, Vir disertissime; nonne Romanæ Princeps eloquentiæ Philippicâ secun-

secundâ Helenam bellorum originem adstruxit his verbis? *Ut Helena Trojanis, sic iste huic Reip. causa belli, causa pestis, atque exitii fuit*. Secundò ex eo insuper obscuritas oritur, quod multæ conglobentur Metaphoræ, quæ demum se invicem obruant. Neque etiam laudabo Metaphoras illas, quæ res tenues aliquando supra Hyperbolem evehunt: quod meritò deplorant nonnulli in quibusdam nostri sæculi Oratoribus, qui nihil se existimant præstitisse; nisi rem, de quâ dicunt supra Cęlum, & Stellas, imò (quod magis ridendum dicam ne, an horrendum?) supra Divinitatem ipsam collocaverint. quâ de re alibi differendum.

Satis circa Metaphoram copiosi fuimus: nec abs re, quum ea sit Troporum princeps; immo apud Aristotelem, & Emmanuelem Thesaurum, qui ipsum illustravit, metaphoræ nomine Tropi omnes veniant: sed verè Aristoteles ideo non divisit; quoniam reliquis ornamentis nomen adhuc inditum non erat.

De Synechdoche. *Cap. VI.*

Partem pro toto; totum prò parte vicissim:
Materiem, de qua totum consurgit, & extat:
Pro numero numerum verbo Intellectio signat.

I. Synechoche συνεκδοχὴ latinè dicitur *conceptio*, sive, ut placet Auctori ad Heren. *intellectio*: quia per unum aliud intelligitur eleganti quadam mutatione. Hæc autem tripliciter fit: aut enim *pars pro*

pro toto : aut *totum* pro *parte* : aut *numerus* pro *numero* ponitur.

II. Partem pro toto usurpamus interdum : ex insigniori nempè aliquâ parte rem totam intelligimus sic *caput* pro homine sumitur. *puppis*, vel *prora* pro navi. *Limen*, *tectum*, *lares* pro domo &c. In sacris *Anima, quæ peccabit ipsa morietur* : id est homo, qui peccabit, ipse morietur. Vulgatum illud : *Quot capita, tot sententiæ*. Cic. in Catil. *Vos in vestra tecta discedite*. Id. de lege agrar. *Recipere aliquem tectis, ac sedibus suis*. Id. *Credere se tectis alicujus*. Liv. 1. ab Urb. *Romanus passim publica, privataque tecta omnia adæquat solo*. Horat. 1. epist. 10.

Licet sub paupere tecto
Reges, & Regum vitata præcurrere amicos.

Virg. 2. Georg.

Penetrant aulas, & limina Regum.

Æneid. 1.

Tertia dum Latio regnantem viderit æstas :
Ternaq; transierint Rutilis hyberna subactis. &
Nam te jam septima portat
Omnibus errantem terris, & fluctibus æstas

l. 2. *Non ante domuere decem, non mille carinæ*. Item 6. *Littora curvæ prætexunt puppes*. & 9. *Quot prius æratæ steterant in littore puppes*.

Horat. l. 2. ode 13.

Vivitur parvo benè cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum.

Huc reducitur *species*, quam Cicero *formam* vocat, pro *genere* : idest minus universale loco magis universalis. Sic *Abies* pro ligno : *Eurus* pro vento. *Massicum* pro vino : *parricidium* pro hominis cujusque occi-

occisione. *Justitia* pro qualibet virtute. *Sacrilegium* pro quocumque scelere &c. Virg. Georg.

Gens effræna virum riphæo tunditur Euro.

Et 1. Æneid.

Vix septem convulsæ undis, Euroque supersunt.

Id. 1. Æn. quum antea dixerit:

Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis Africus.

Virg. Æneid. 1.

Heus, inquit, juvenes, monstrate, mearum
Vidistis si quam hic errantem fortè sororem,
Succinctam faretra, & maculosæ tegmine Lyncis.

Aut spumantis Apri. ubi ferinâ pelle indutam, ni fallor, intellexit Poëta.

III. Totum è contra pro parte accepimus, quum quod est totius parti applicatur. ità dicimus *flumen*, ac *fontem* pro aquâ: *silvam* pro ligno &c. Virg. Eclog. 1.

Aut Ararim Parthus bibet; aut Germania Tygrim.

Idem Æneid. 3.

Quàm multæ glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans pontem fugat. frigidus annus. i. Hyems.

Item 12. *Fontemque ignemque ferebant.*

Lucan. lib. 3.

Hauseruntque suo permixtum sanguine pontum.

Talis etiam est in illo Terentii:

Quis est hic senex, quem video in ultima platea? idest in ultimâ parte plateæ. Ità in illo Virg.

Imas

Imas obsedere fores. &

In foribus pugnant auro. solidiori elephanto, nempè Ebore, & in illo Ciceronis: *ex ultima Urbe.* i. parte Urbis: Horat. l. 3. od. 10. *Extremam Tanaim si biberes, Lyce.* Ejusmodi erit Synecdoche, si *genus* pro specie ponamus: ut *Sydus* pro Sirio, sivè Caniculâ: *astrum* pro Sole. *Bellua* pro Leone: *Ales* pro Aquilä: *Olus* pro Brassicâ: *scelus* pro inhonestate. Martial. in Amphit. epig. 7.

Assiduam nimio pectore pavit avem.

i. Aquilam.

ubi moles pro Civitate, à Didone nuper constructa, quæ ob vastitatem, ac majestatem nova Carthago nuper à vate dicta.

IV. Ex materiâ pariter rem totam concipimus: ut *trabem*, vel *abjetem* pro navi: *aurum* vel *argentum* pro pecuniâ vel vase: *ferrum* pro gladio: *buxus* pro tubâ, vel tibiä buxeâ: *æs* pro tormento bellico &c. Cic. pro Cec. *Homines instructi, & certis locis cum ferro collocati.* Pro Sext. Rosc. *Quis tibi non est vulneratus ferro Phrygio?* Horat. Od. 1. *Nunquam dimoveas, ut trabe Cypria Myrtorum pavidus nauta secet mare.* Apud eundem *serta legere* pro flores colligere, quibus sertum componitur. Virg. Æn. l. 1. *Frugesque receptas*

Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

idest molä.

Ibidem. *Clam ferro incautum superat.* idest sicâ. & 2.

Inutile ferrum cingitur. i. ensis.

Item. *Naves, quæ fortè paratæ,*

Corripiunt, onerantque auro.

&

& lib. 8. *tum lactea colla auro innectuntur*: Ubi Poëta pro auro torquem intelligit: ut notat de la Cerda.
Ovid. 14. Met. *Inflati murmur buxi*.
Senec. *Ferrum tuetur Principem: meliùs fides*. Virg. Æn. 2. *æs pro armis posuit*: *Ardentes clypeos, atque æra micantia cerno*. Id. 6. *Excudunt alii spirantia mollius æra* pro statuis. *Unca æra* pro hamis dixit Ovid. lib. 1. de Ponto.

Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus unca cibis æra subesse putat.

Apud Virgil. Eclog. 5. *Grandia sæpè quibus mandavimus ordea, sulcis; Infelix lolium, & steriles dominantur avenæ*. Ubi per ordeum, quod species est, genus, id-est frumenta significat. Per Lolium itidem, & avenam inutiles herbas quascumque.

V. Item numerus pro numero ponitur: idest *singularis* pro plurali: *pluralis* pro singulari: *definitus* pro indefinito, seù *certus* pro incerto.

1. Singularis pro plurali, quando unum exprimimus, plura significamus: quod quidem majoris nescio quid efficaciæ, ac expressionis habet in se: plus enim significat illud Horatii lib. 3. Ode 6. *Fæcunda culpæ sæcula*, quam si dixisset *culparum* plus illud Virg. *Hostis habet muros*, quàm *hostes*. Ennius: *Romanus homo tametsi res benè gesta est: corde suo trepidat*. Hac frequenter historici utuntur: Tacit. Annal. l. 3. *Turonii Legionario milite, quem Visellius Varro inferioris Germaniæ legatus miserat, oppressi*. Tit. Liv. l. 8. *Camillus læ-*

tum

tum militem victoria Tribuni, lætum tam præsentibus, ac secundis Diis, ire in prælium jubet... ostenstansque insignem spoliis Tribunum: hunc imitare, miles, *ajebat*: & circa jacentem Ducem sterne Gallorum catervas. & ità passim.

2. E contrà pluralis ponitur pro singulari, & plura exprimimus, dum unum significamus; quod majestatem orationi afferre videtur. Cic. pro Arch. *Nam quas res nos in Consulatu nostro vobiscum simul pro salute hujus Urbis, atque Imperii, & pro vita Civium, proque universa Rep. gessimus, attigit hic versibus, atque incohavit.* pro Dom. suâ: *At vide quid intersit inter illum iniquissimum patris tui casum, & hanc fortunam, conditionémque nostram*. item: *Cui populo duces Lentidios, Lollios, Sergios præfeceras.* i. Lentidium &c.

Virg. Æn. 1. *Punica Regna vides.*

Item. *Inhumati venit imago*
Conjugis, ora modis attollens pallida miris.
Crudeles aras, trajectaque pectora ferro
Nudavit. Item.

3. Numerus certus prò incerto pariter adhibetur. Cic. 2. Philippica: *Centies facta syngrapha*. Ad Attic. *Mori millies præstitit, quam hoc pati*. prò Sextio: *Millies revocatum est*. Virg. Georg. 2.

Non mihi si linguæ centum sint, oraq; centum.

Æn. 1. *O terque quaterque beati.* &
Centumque Sabæo
Thure calent aræ.

Catull.
Omne æuum tribus explicare chartis. Mart.
Sexcenti cænant à te, Justine, vocati.

Æn. 7.

Æn. 7. *Tibi nomina mille.*

Mille nocendi artes. & *Per medias flammas, & mille sequentia tela.*

Horat. *Mille sunt usus arborum.* item. *curarum millia. Centum greges.*

Juvenal.

Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis.

Ad copiam sermonis, elegantiam, & ornatum, tam in poëtica, quàm in soluta oratione plurimum valet hic Tropus: habet enim nescio quid singulare, ac peregum quamvis Cicero dicat 3. de Oratore hunc esse minùs ornatum, quàm Hypallage, de quomodo agemus.

De Metonymia, seu potius Hypallage. Cap. VII.

I. Quam Metonymiam μετονυμίαν Grammatici vocant, quòd nomina transferuntur, ut ait Cic. in Orat. hanc Hypallagen Rhetores, quia quasi summutantur verba pro verbis. Tropus hìc, latinè denominatio, sivè transnominatio, qui à propinquis, & finitimis rebus trahit vocem ad rem significandam proprio vacabulo non appellatam, *est*, ut definit Fabius lib. 8. cap. 6. *Nominis pro nomine positio.* Quatuor ejus sunt fontes:

Caussa pro effectu, & contra.

Continens pro re contenta, & contra.

Possessor pro re possessa.

Signum pro re signata.

Quæ ita metro ligavimus:

Pro effectu caussam rerum, contraq; reponi,
Pro re contenta pariter quod continet illam;

Et

Et Domini nomen pro re, quae subjacet ipsi:
Pro re signata quoque signum Hypallage amavit.

II. *Caussa pro effectu* est in plerisque Bibliorum locis; ut *iram Domini portabo* pro pœnam, quæ ab ira proficiscitur. *Anima quae peccaverit, feret suam iniquitatem. Opus Mercennarii tui non pernoctabit tecum*, idest *merces*, quam statim solves, *Peccata populi mei comedent*, idest *hostias* pro delictis oblatas. Huc etiam refertur, cum per *manum*, & *brachium* Dei potentiam intelligimus: per *oculum* providentiam: per *iram*, & *furorem* pœnam intimatam, sivè illatam. Ita in Psal. *Ecce oculi Domini super metuentes eum. Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltavit me. Misericordia Domini plena est terra*. Eadem ratione sumitur *inventor* pro *re, ab ipso inventa*: præses pro re, cui præest: auctor pro ejus opere. *Inventor* pro *re inventa* est *Bacchus* pro Vino, *Ceres* pro frumento &c. *Florus de Campania Neapolit. Nihil uberius solo: ideoque Liberi, & Cereis certamen dicitur.*

Virg. 1. Æneid.

Tum Cererem corruptam undis, Cerealiaque arma
Expediunt. & *Implentur veteris Bacchi.*

Æneid. lib. 8. *Onerantque canistris*
Dona laboratae Cereris, Bacchumq; ministrant.

Ibidem.

Cui tolerare colo vitam, tenuiq; Minerva.

Praeses pro re, cui praesides, est *Neptunus*, *Nereus*, *Doris*, *Thetis* pro mari: *Vulcanus* pro igne: *Mars* pro bello: *Juppiter* pro aëre

aëre: *Lucina* pro parte: *Minerva* pro lanificio &c. Horat. in Art. *receptus Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet*. Virg. 2. Æneid. *Dedit ampla ruinam, Vulcano superante, domus*. Item Horat. Od. 1. l. 1. *Manet sub Jove frigido Venator*. Acheloum pro aquâ dixit Virg. 1. Georg.

Poculaque inventis acheloia miscuit uvis.

Liv. *Aliquandiu ibi Marte incerto, varia victoria pugnatum fuit*.

Auctor pro *Opere*, isque qui efficit, pro eo, quod efficitur, est ex. gr. *Livius* pro ejus historiâ; *Virgilius* pro Virgilii Carmine; *Martialis* pro ejus Epigrammatibus &c. Ad hunc locum spectat Lingua Hæbrea, Græca, Latina pro idiomate, & sermone: item pro obtrectatione, cum dicimus linguas vitare: item pro eloquentia; quo sensu Apostolus ait: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum*. In Act. Apost. *Audivimus eos loquentes linguis nostris*. Hujus etiam est loci Gen. 25. *Duæ gentes sunt in utero tuo*, idest Gentium duarum patres, duces, & auctores. 3. Reg. 4. *Mors in olla*; idest venenum.

E converso etiam *effectus pro causa* significatur, ut cum scelus dicimus pro homine scelesto, quod frequens est apud Comicos. Sacrilegium deprehensum pro sacrilego: armorum scientiam habere pro artis militaris. Horat. libr. 2. Satyr. 2.

nos expulit ille
Illum aut nequities, aut vafri inscitia juris.

Huc pertinet quum effectus rei efficienti accomodatur; ut cum dicimus *pigrum frigus*,

gus, gelidum timorem, tristem senectam, pallentem morbum, & mortem: quoniam frigus *pigritiæ*; gelu *timoris*; *tristitiæ* senectus; morbus & mors *palloris* sunt causa. Sic etiam canities *morosa* appellatur; cupiditas *furiosa* &c. Ovid.

Creverunt & opes, & opum furiosa cupido.

Virg. Æneid. 6.

Pallentesq; habitant morbi, tristisq; senectus.

Horat. *Pallida mors æquo pulsat pede*

Pauperum tabernas, Regumque turres.

Id. lib. 2. Carm. *Dura valetudo inciderit, seù tarda senectus*. Manil. *Lambensque dies vitæ, tremulamque senectam*. Sabell. *Canicies veneranda genis*. Virg. 4. Æneid. *Et quùm frigida mors anima seduxerit artus*. Georg. 3. *Cœci stimulos avertere amoris*; quia cœcos facit.

III. *Continens* pro *re, quæ in ipso continetur*, est, quando per cœlum exultans, cœlites intelligimus; per Romam triumphantem, Romanos; per Bisantium subactum, Bisantinos; per Galliam victricem, Gallos &c. Cic. 3. de Orat. citans hoc carmen.

Africa terribili tremit horrida terra tumultu.

Pro Afris, inquit, est sumpta *Africa*: neque factum verbum est, ut *mare saxifragis undis*: neque translatum, ut, *mollitur mare*: sed ornandi causa proprium proprio commutatum. Sic *patera spumans* pro vino ponitur. Sic *forum, rostra, Curiam* frequentare dicitur, qui judicia, & orationes frequentat. Hujus etiam est loci, si dicatur *cor* pro cupiditate, *cerebrum* pro cogitatione: quoniam primum affectuum sedes; alte-

rum intellectus putatur. *Frons* quoque, & *vultus* pro pudore, vel audacia ponuntur: quod in ipsis appareant. In sacris *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas.* Pro leg. Manil. *Testis est Italia, quam ille ipse victor L. Sulla hujus virtute, & consilio confessus est liberatam. Testis est Sicilia, quam multis undique cinctam periculis, non terrore belli, sed celeritate consilii explicavit &c.* Virg. Æneid. 1. *Nunc pateras libare Jovi.* Id. Georg. 3. *& pocula læti Fermento, atq; acidis imitantur vitea sorbis.* Plaut. Psalm. *Dii istam perdant: quam cata est, & callida: Habet cor, quàm dicit quod opu' st.* Persius. *Lunai portum est operæ cognoscere, cives.*
Cor jubet hoc Ennj postamquam desterruit esse.
Mæonides. Virg. *Jurgia sunt circi, cuneati hinc lata theatri seditio.*
Id. 3. *Heu fuge crudeles terras: fuge littus avarum.*

Vel pro eo quod continet, id quod continetur: ut *vinum* pro paterâ. Virg. 1. Aen. *Crateras magnos statunt & vina coronant.*
Id. 2. Georg. *segetem* dixit pro *agro.*
Illa seges demum votis respondet avari
Agricolæ, bis quæ solem, bis frigora sensit.
Cic. de Orat. *Segetes fœcundæ herbas effundunt inimicissimas frugibus.* Plin. *Segetes, quæ interquievere.* Rarò autem audendum nisi à Poetis.

IV. *Possessor* pro *re ipsa, quam possidet* Virg. 2. Æneid. *Jam proximus ardet Ucalegon*: idest domus Ucalogentis. Sic dicimus sanguinem sugere, hominem devorare, cujus patrimonium consumitur. Undè originem habuit Actæonis fabula, cui pro-
prii

prii canes cutem, & ossa devorarunt: quâ de re dixit Varro: *Crede mihi; plures Dominos cervi comedere, quam canes*; quod si Actæon occupasset, & priùs suos comedisset canes, non nugæ saltatoribus in theatro fieret; ubi cervorum nomine *servos*; canum verò *parasitos*, & *adulatores* intelligit. Hujus est generis, cum Ducem pro exercitu ponimus: ut ab Annibale cœsa apud Cannas sexaginta millia; quod Oratoribus, historicis, & poëtis perquam familiare est. Cicer. pro leg. Manil. *Ab eodem Imperatore classem magnam, & ornatam, quæ ducibus Sertorianis ad Italiam studio inflammato raperetur, superatam esse, atque depressam: magnas hostium præterea copias multis prœliis esse deletas*. Liv. lib. 39. *Omnes Æmilius subegit, armaque ademit*.

V. *Signum* ponitur *pro re, cujus est signum*; ut *toga* pro pace, *sagum* pro bello, *fasces* pro magistratu, *sceptrum* pro Imperio, *purpura* pro Rege, vel Cardinali, *infula* pro Episcopo &c. Plin. *Ut dubium sit, toga ne, an bello præstantior fuerit*. Martial. *Lis nunquam, toga rara, mens quieta*. Vulgatum est illud Cic. *Cedant arma togæ, concedant laurea linguæ*. Idem pro Dom. *Fasces sunt fasces*; idest magistratus est onus. Seneca in Oedipo.

Qui sceptra duro sævus imperio regit
Timet timentes: metus in auctorem redit.

Martial. lib. 8. epig. 66.

Gaudenti superest adhuc quod optet
Felix purpura, tertiusque consul.

Huc revocamus quod Quintilianus, & ali-

aliqui recentiores Synechdochi tribuunt: cum nempè ex antecedentibus sequentia intelliguntur, & contra; quia verè à finitimis rebus ducitur oratio; quod est proprium hypal lagis. Pastor Virg. ecl. 2. in describendâ nocte. *Aspice, aratra jugo referunt suspensa juvenci.* 5. Æneid. *Novamque serena Auroram Phætontis equi jam luce vehebant.* Hor. *Ne sinas Medos equitare inultos,*

Te Duce, Cæsar.

Sensus est, ne sinas illos arma movere inultos: ne permittas impunè, more suo equitantes, eos pugnare. Consequens pro antecedente est in illo Virg. Æn. 1: *En Priamus: sunt hic etiam sua præmia laudi.* ubi laus pro virtute.

VI. Observandum autem est, in Tropi hujus licentiâ non idem Oratori, ac Poëtæ convenire; poëtæ enim libertas major, quàm Oratori datur. Itaq; non adeò liberum erit in solutâ oratione ponere Cererem, & Bacchum pro frumento & vino; licet Mars pro bello sæpè apud Historicos occurrat. Et quamvis Quintilianus Vulcanum pro igne vulgò dici asserat; ego poëticorum verborum potiùs inseram classi.

Effectus pro caussa potest etiam cautè ab Oratore usurpari. Quis enim unquam refugiat dicere *gelidum* timorem, *præcipitem* iram, *hilarem* adolescentiam, *segne* otium, *jucundos* calices, ac *facundos*?

VII. Sunt qui putent non dari hunc Tropum in verbis, quoniam dicitur nominis pro nomine positio: sed nos in definiendo Dialecticorum rigorem non sequimur. Pers. *intus* *Pal-*

Palleat infelix quod proxima nesciat uxor.
Palleat pro timeat: quia timor est caussa palloris. Horat. *pueris omnis pater, & matercula pallet;* idest pro filiis timet. Sic & *mirari* dixit Terentius in Andr. pro ignorare. *Miror undè sit;* quia, ut Donatus ibi, admiratio ex ignorantia procedit. Plaut.
Si quis miretur, qui sim, paucis alloquar.

VIII. Gentilium more Deos locorum præsides pro locis ipsis ponere, vix alterius est quàm poëtæ: ut *in faucibus Orci;* ubi Orcus, qui est Pluto, pro inferis. Nevius etiam: *Coquus edit Neptunum, Venerem, & Cererem;* idest pisces, olera, & panem: quia Neptunus præest mari; Venus hortis oleribusque; Ceres frumento, cujus inventrix dicitur: quod tamen nimis audax, & parum jucundum.

De Antonomasia. Cap. VIII.

Si taceas hominis nomen, vice nominis artem
Qua nituit, mores: vim: aut quo sanguine natus:
Arte notes: notum sic Significatio reddet.

I. Ἀντονομασία, antonomasia, latinè *significatio,* sivè *pronominatio,* juxtà Quintil. l. 8. cap. 6. *aliquid pro nomine ponit:* hoc loco vox *aliquid* de patronomycis, vel aliis etiam epithetis intelligenda est: *nomen* autem de proprio nomine cujuscumque aliquâ in re magnoperè excellentis, seu famosi. Triplici ex fonte Antonomasiam haurire possumus: Primùm *ex*

jis, quæ in quocumque maximè excellunt; & peculiari digna sunt notâ. hæc autem aut *animi* sunt, aut *corporis*, aut *fortunæ*. Secundò *ex insigniori aliquo facinore*, quo persona valde sit celebris. Tertiò à *patronymicis*; nempe à patriâ, & majoribus.

II. Ex jis, quæ præcipuè excellunt in animo dicitur *sapiens* pro Salomone: *Patientissimus* pro Jobo: *Castus* pro Josepho: *Justus* pro Davide: *Casta* pro Susanna ex Sacris, Lucretia ex prophanis: *Vanus* Absalon: *Ambitiosus* Amanus: *ignarus* Mida: *Dolosus* Sinon: *Gulosus* Sardanapalus: *Luxoriosus* Heliogabalus: *Sævus* Nero: *Avarus* Tantalus: *Maledicus* Diogenes &c. & hoc est quod Quintilianus dicit fieri per Epitheton, idest appositum, sive sequens: quia detracto eo, cui apponitur, valet pro nomine; ut *Regius Psaltes* pro Davide: *Doctor maximus* pro D. Hieronymo: *Mellifluus* pro D. Bernardo: *Angelicus* pro Divo Thoma Aquinate: *Seraphicus* pro D. Bonaventura: *Subtilis* pro Jo: Duns Scoto. *Solemnis* pro Henrico Gandavensi &c. Item *Attica Musa* pro Xenophonte à suavitate sermonis: *Divinus Philosophus* pro Platone: *Divinus Vates* apud Etruscos pro Danthe, aut *Vates Theologus &c.*

E converso pariter proprium nomen pro appellativo per Antonomasiam ponemus: & ita sapientem quempiam appellabimus *Salomonem*: patientem, *Jobum*: castum, *Josephum*; & sic de reliquis.

III. Ex jis, quæ præsertim excellunt in corpore: nempe ex pulchritudine, integritate proceritate, robore, & his contra-

trariis, dicitur *pulcher* pro Absalone, & è converso *Absalon* pro quocunque pulchro: *elegans forma* pro Narciso; & *Narcisus* pro eleganti: *statura procerus* pro Goliath, sive Atlante, aut Encelado; & *Goliath* pro aliquo magnæ struturæ homine: *fortis*, & *robustus* in Sacris Samson, in profanis Milo Crotoniates: in poëticis *Hercules*: & *Samson*, seù *Milo* pro quovis forti: quemadmodum Maximus Imperator ob insigne corporis robur *Milo* sui seculi dictus est. Sic etiam antonomasticè *Thersites*, *Æsopus* pro deformi. *Vulcanus* pro claudo, ac deformi. *Pholiphemus* pro Strabone, & lusco. *Battus* pro balbo &c.

IV. Ex bonis fortunæ, vel gratiæ, idest temporalibus, sive spiritualibus: nempe nobilitate, divitiis, amicitiis, dignitatibus. Item donis supernaturalibus orationis, contemplationis, prophetiæ, miraculorum &c. Ita in Sacris pro *Propheta* intelligitur David; pro *Præcursore* Jo: Baptista. Ita pro Maria Virgine dicitur *Deipara*. *Virgo parens*. *Virginitatis honor*. *Sponsa*, *Templum Spiritus Sancti*. *Novi fœderis arca*, & alia sexcenta, quæ de ejus excellentiâ canit Ecclesia, scribunt Doctores. Ita pariter Jesus Christus dicitur ab hoc fonte *humani generis redemptor*, *reparator*, *servator*, *victor*, *atque destructor mortis*. *Dux*, *auctor certæ*, *ac æternæ*, *salutis*. *Spes miseris*. *Novus Adam*. *Mundi melioris origo*. *Magister vitæ &c.* *Dominam* Virg. Mariam. Per *Christi discipulam* Mariam Magdalenam per *discipulum dilectum* Jo: Evangelistam. Per *Apostolum*,

aut *Ecclesiæ Doctorem* Paulum. Per *Angliæ Apostolum* Gregorium Magnum &c. E contra *Paulum* accipiemus pro insigni concionatore, sivè *Crysostomum*. *Taumaturgum* pro miraculorum operatore &c. In prophanis per *eversorem Carthaginis & Numantiæ* Scipio intelligitur: per *Cytharæ inventorem* Mercurius &c. Hesiodum, qui primus Agriculturæ præcepta tradidit Ovid. lib. 6. Fastorum *præceptorem arandi* per antonomasiam appellat.

Ecce Deas vidi: non quas præceptor arandi.

Et lib. 4. de Pont. Agricolam.

Ausa est Agricolę musa docere senis;

Horat. lib. 1. Ode 3. in Virgilium Athenas proficiscentem:

Sic te Diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ, lucida sydera,
Ventorumque regat pater,
Obstrictis aliis, præter Japiga.

E contra *Archimedis* nomine laudabimus Architectum: *Apellis* pictorem: *Phidiæ* sculptorem &c. Recentioribus quoque seculis meritam laudem dantes *Titianum* pariter dicimus pro pictore: *Bonarrotum* pro excellenti in triplici facultate picturæ, sculpturæ, & architecturæ. *Americum* sivè *Columbum* pro cosmographicæ, & hydrographicæ artis peritissimo, *Galilæum* pro excellenti mathematico, vel astronomo. Idem Horat. lib. 2. Satyr. 1.

Nam Lælius, aut qui
Duxit ab oppressa meritum Kartagine nomen
Ingenio offensi?

Perillum pariter nuncupabimus eum, qui pravi alicujus inventi pœnas luat: & *Pha-*

Phalaridem crudelitate qui excellat.

V. A patronymicis, quibus dicimus *Vatem ascræum* pro Hesiodo. *Stagyritam* pro Aristotele. *Mantuanum* pro Virgilio. *Arpinatem* pro Cicerone. *Patavinum historicum* pro Livio. *Bilbilitanum Vatem* pro Martiali. Item *Græcum Oratorem* pro Demostene: *Romanum* pro Cicerone: *Græcum Vatem* pro Homero: *Latinum* pro Virgilio: *Etruscum* pro Danthe.

Sidon. *Arpinas, Patavine, Mantuane.* Ita *Tydides* dictus Diomedes Tidei filius. Achilles dictus *Pelides* à Pelio patre: vel *Chironis alumnus* à Chirone Tessalo ejus educatore. A matre Latonâ sic Diana dicta est *Latonia*: & sic alii, quibus omnia plena. Virg. Æneid. 1.

O Danaum fortissime gentis
Tydide. Æneid. 11.
Alma tibi hanc nemorum custos Latonia Virgo.

Stat. *Quò rapis ingentem Chironis Alumnum?*
Juven. *Unus Pellæo Juveni non sufficit orbis.*
Ovid. Fastor. 6.

Nec quas (Deas) *Priamides in aquosæ vallibus*
Idæ. Contulit. i. Parides, qui de pulchriori judicium tulit. Id. 2. Trist.

Solus ad egressus missus septemplicis Istri,
Parrhasiæ gelido Virginis axe premor.

In sacris verò, *Galilæa, Palæstina, Davidica, Jesseia Virgo*, idest Deipara. *Vera Dei Soboles. Æterni Patris unica proles. Magno æquæva Parenti progenies. Virginis intactæ Proles. Nazarenus flos. Domiti vastator Averni. Criminis humani reparator &c.* idest Christus. Ita *Nazianzenus* pro Gregorio Episcopo. *Stridoniensis Doctor* pro Hieronymo.

nymo. *Hypponensis Præsul* pro Augustino. *Aquinas* pro Thomâ, *Patavinus Heros* pro Antonio Lusitano &c. Petrarc. de B.V.

Se quoque permixtam Virgo Galilæa ministris.

Mantuanus.

Sancta Palestinæ repetens exordia Nymphæ.

Idem.

Cum cœtu comitata gravi Davidica Virgo.

Idem de S. Hieron.

Hic Stridone satus loquitur Pater ore trilingui.

Et de S. August.

Hic sedem Pater Hypponis Carthagine natus.

Circa Antonomasiam hæc animadvertenda sunt. Primùm ne denominatio fiat à re, seu personâ ignotâ. Deindè hujus Tropi usum liberiùs Poëtis, quàm Oratoribus concedi; his enim non conceditur denominatio à Parentibus, à nominibus possessivis sumpta, aliæ tamen permittuntur.

De Catachresi, et Metalepsi. Cap. IX.

Voce carens propria mendicat Abusio nomen
Proxima significans; longè Trasumptio verbum
Sumit; quodq; sequens hæc eminus indicat arte.

I. Catachresis κατάχρησις, Latinè *Abusio nominis* redditur. *Fit autem cum rebus nomine destitutis, illud quod in proximo est*, ut ait Fabius, *accomodatur*. Sic equum dicimus, qui ex materiâ artefactus est, à vero equo translatâ voce. Differt autem à metaphorâ ex eo, quod illa habenti vocabulum proprium largitur

tur aliud; hæc verò quia non habet proprium, utitur alieno. Virg. Æn. l. 1.

Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum.

Idem lib. 2. *Equum Divina Palladis arte Ædificant.*

Sic. *Faciemque simillima lauro.* &

Nunc una ambo, junctisque feruntur
Frontibus, & longa sulcant vada salsa carina.

Cùm frons, & facies tantùm animalium, & hominum sint; si Poëta per Catachresim frontem non apposuisset Navi, quid proprium eidem parti tribueret, non habebat; ut notat Isid. lib. 1. c. 36.

II. Tullius tamen non adeo restringit limites Catachresis in Oratore; cùm dicat: *Abutimur verbis propinquis, si opus est; vel quod delectat, vel decet.* Quod verò frequentari possit, docet iterum 3. de Orat. *Abutimur sæpe etiam verbo non tam eleganter quàm in transferendo; sed etiam licentiùs; tamen interdum non impudenter.* Sine ullâ quidem necessitate ista invecta fuêre: Vires hominis *breves*. *grandis* oratio. *minutus* animus, *longum* consilium. *paucus* sermo &c. nam hisce in locis, intellectu facile est, finitima verba rerum dissimilium ratione Abusionis esse traducta. Dicendum itaque cùm nonnullis, duplicem esse Catachresin; *propriam* nempe, idest necessitatis, cùm non habemus nomen proprium; ut si dicam *montis pedem*: *impropriam* idest arbitrii, cùm habemus quidem; sed abuti propinquo verbo vel delectat, vel decet. Quando propriâ necesse sit uti; vocum scilicet defectu; advertendum, ut vocem

illam perquiramus, quæ majorem affinitatem cum re, quam explicare intendimus, habeat v. g. *frigus opacum*, *aura suavis &c.* Impropriam ab ipsâ Metaphora audaci vix distingui, cum Aristotele affirmare non dubitaverim. Hujus generis creditur illa Persii:

Certare credas Pegasejum nectar.

pro quo aliis placet *melos*; sed nectar legendum defendit Capella. *Post hos*, inquit, *honoratior fontigenarum Virginum chorus Pegasææ vocis nectare diffluebat*. Tale est etiam illud:

Leo pariet, & pater est.

Catullus per Catachresin pretium dixit pro *pœna*.

Magno cum pretio, atque malo.

Propertius è contra *pœnam* posuit pro pretio ubi inquit.

At postquam sera captivæ est reddita pœna.

Plurimum dixit Virgilius 3. Georg. pro longo, & crasso. *Cui plurima cervix.* Æn. 1. de Colle. *Qui plurimus imbri imminet.* Item *culpam* pro morbo. *Continuò culpam ferro compesce*; de pecude, ait, infirmâ. Horat. lib. 1. od. 7.

Quid fles, Asterie, quam tibi candidi
Primo restituent vere Favonii?

Ubi candidos dixit pro lætis, & jucundis; quemadmodum nigra omnia mœsta sunt: unde idem lib. 1. Sat. 9. pro die infausto, & inauspicato dixit:

Huncine solem
Tam nigrum surrexe mihi?

Catullus quoque candidos pro letis usurpavit:

Ful-

Fulsere quondam candidi mihi soles.
Sexcenta alia id genus sparsim apud auctores, præcipuè Vates, videre est: his autem Catachresi frequentiùs licet uti metri ergô; Oratoribus autem nimia frequentatio vitio verteretur. In hoc itidem animadvertendum, duritiem modum excedere non debere; si verò durior aliquando exciderit Catachresis, aliquâ mollienda particulâ est: quod fecit Cic. 1. de Leg. dicens: *Nec arboris, nec equi virtus, quæ dicitur (in quo abutimur nomine) in opinione sita est, sed in natura.*

III. Metalepsis μετάληψις, quam latinè Transumptionem, transpositionem dixeris, *ex alio in aliud velut viam præstat*, ut inquit Quintil. Ex se enim nihil significat, sed ad aliquid intelligendum gradum facit. Talis est Virg. Æneid. lib. 1. *Spumas salis ære ruebant.* idest spumans mare rostris navium ære armatis secabant, ait Min. illius. præsertim ergo in *ære* durior est Metalepsis: ex *ære* nempe prora ære armata, ex prorâ navis, ex navi integra classis intelligenda.

Inque manus chartæ, nodosaque venit arundo.

Nam per manum verba, per arundinem literæ significatæ sunt, ut sentit Beda de Trop. S. Scripturæ. Virgil. de Apibus.

Sæpe etiam effossis, si vera est fama, latebris
Sub terra fodere larem.

Larem pro domo, domum verò pro alveari posuit. Item Eclog. 1.

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas:

Ubi per aristas segetes, per segetes æstates, per æstates anni significantur. Hora-

tius quoque lib. 1. od. 6.
Scriberis vario fortis, & hostium
Victor Mœonii carminis alite.
Ab alite calamus, à calamo scriptor &c. Claudian. de Bel. Gild.
Jam solis habenæ
Bis senos torquent hyemes.
Profectò hìc Tropus non est ita rarus, ut aliqui autumant: à sacris enim Scriptoribus pluribus in locis usurpatur, sicuti etiam à Græcis, ut notat Carbon de Elocut. 1. At verò apud Oratores rarior est, quàm apud Poëtas, cùm sit obscurior, & intellectu difficilior; & ita potius cognoscendus, quàm in oratione adhibendus est. Quod si quispiam eo uti voluerit, obscuritatem devitet; qualem agnosceres hoc in loco apud Horat. lib. 1. od. 1.
Sunt, quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse juvat.
h. e. quos ludus Olympicus delectat. Secùs est Virg. ista ex 1. Æneid.
Speluncis abdidit atris.
Optimè enim, & apertè: *Nam*, inquit Erasmus, *nigræ intelliguntur; ex nigris obscuræ; & per hoc demum in præceps profundæ.*

De Onomatopoeia. *Cap. X.*

I EXclusimus à Troporum serie Onomatopœjam, quoniam in merâ vocis fictione sine ullâ verbi translatione consistit. Cùm itaque illi nullatenus Troporum definitio competat, meritò ex eorum numero meliores secuti, ejicendam putavimus. Quia tamen ad orationem
exor-

exornandam conducere poteſt, prætermittendam omnino non duximus, ideoq; mutatâ tantùm ſede hic repoſuimus.

Nomina fingendi dederat jus Græcia quondam.
Hoc Latium ſequitur, nimis ampla licentia nulli.
Concedenda tamen, vocis niſi cogat egeſtas.

II. Onomatopœia ὀνοματοποιΐα, latinè *Nominatio*, ut Auctor ad Heren. 4. vel juxta Fab. *Fictio nominis* redditur, τὸ *nomen* latè ſumpto loco *vocis*. Addunt aliqui. *rei alicujus novæ*, ut fingendi nominis cauſam exponant, quæ eſt rerum novarum inventio; ſed nihil hac additione opus eſt, cùm interdum rerum etiam exiſtentium fingantur nomina. Fluit autem Onomatopœia ex his ferme locis.

Ab animalium vocibus.
A rerum inanimatarum colliſione.
Ab hominum, & beſtiarum moribus.
A deductione.

1. Ab animalium vocibus. Sic fictis nominibus dicimus *coaxare*, *mugire*, *barrire*, *rugire*, *miagulare*, *balare* &c. Virgil. 4. Æneid.

Mugire videbis
Sub pedibus terram:

Et *Diſceſſu mugire boves.*
Et *Quinque illi greges balantum.*

Horum nominum ab animalium vocibus confictorum, luculentam copiam exhibet incertus Auctor Elegiacis carminibus, quæ Ovidio indocti adſcripſere; atque ideo inter ejus Operum fragmenta repoſuere. Sed num toto cœlo aberrarint, eruditorum eſto judicium. Placet nonnul-

la hic subtexere, utpote instituto valdè conducibilia.

Dum turdus trutilat, sturnus tunc pisitat ore,
Sed quod mane canunt, vespere non recolunt.
Cacabat hinc perdix, hinc gratitat improbus anser
Et castus turtur atque columba gemunt.
Plausitat arborea clamans de fronde palumbes
In fluviisque natans forte tetrinit anas.
Grus gruit, inque glomis cycni prope flumina drensant
Accipiter pipat, milvus hiansque lipit.
Cucurrire solet gallus, gallina gracillat,
Pupillat pavo, trinsat hirundo vaga.
Dum clangunt Aquilæ, vultur pulpare probatur.
Et crocitat corvus, graculus ac frigulat.
Glotorat immenso de turre ciconia rostro
Pessimus at passer tristia flendo pipit.
Psittacus humanas depromit voce loquelas &c.

Reliqua videantur loco suprà laudato. Carmini autem titulus est *Philomela*. Talibus verbis ipse quondam insectatus sum Aulicum quemdam maledicum hoc pacto:

Quid baubas, gannisque, canis rabidissime in aulam?
Quid nimia, nequam, garrulitate teris?
Regia non peccat: sed si quo candida peccat;
Quod non te batuet Regia crimen habet.
Porrigat ingrato quod nutrimenta molosso,
Qui latrat in Dominum, Regia crimen habet.

Sunt autem & nomina, quæ sonum quidem ex animantium vocibus exprimunt, sed in se nihil significant. Tale est apud Aristophanem in Ranis

Bre-

Brecececececex, Brecececex, coax, coax.

Plautus in Persa.

Tax, tax, tergo meo erit.

Marcus Bettinus in suâ Hilaro-Tragœdiâ Satyro-pastorali, Lusciniæ cantum his vocibus perbellè imitatus est:

Tiùu, tiùu, tiùu, tiùu, tiùu;
Qzpè, tiù, zqua;
Quorrror pipi
tiò, tiò, tiò, tiò, tix;
utiò, qutiò, qutiò, qutiò.
Zquò, zquò, zquò, zquò
zi zi zi zi zi zi zi zi
Quorrròr tiù zqua pipiquì.

Sic Plautus voracem Ballionem illudit fictis condimentorum vocibus:

Nam ego cicilendrum *quando in patina scindidi; Aut* polindrum, *aut* meacidem, *aut sanè* raptidem,
Ææ ipsæ sese patinæ fervefaciunt illico.
Hæc ad Neptuni pecudes condimenta sunt.
Terrestres pecudes cicimandro *condio;*
Aut Happalopside, *aut* cataractria.

Plures etiam sunt interjectiones, per quas aut risum, aut fletum, vel aliud quempiam affectum exprimere voluerunt recentiores, ac præsertim Comici. Hæ verò cùm passim legenti occurrant, non est cur in medium proferamus.

2. A rerum inanimatarum collisione effingitur nomen, ut: *tinnire, sibilare, stridere*. Virg. 1. Æn.

Foribus cardo stridebat abenis.

Et 2. Æneid.

Exoritur clamorque virum, clangorque tubarum.

In

In sacris nonnulla exempla itidem habemus; ut *Cymbalum tinniens*. Et. *Nunquid circumdabis collum equi hinnitum*, Ex voce animalium nomine facto. Item *Rugitus Leonis &c.*

3. Ab hominum, & bestiarum moribus, quorum intitationem significant, ut *Platonissare, Patrissare &c.* Sed in his fictionibus Græci longè sunt Latinis feliciores. Nobis tamen nonnihil audendum censeo; præsertim in carmine, & in vertendis Grecis auctoribus. Certè quæ reperiuntur apud idoneos Scriptores, ea sunt audacter usurpanda.

4. A Deductione, hoc est cùm per Paragogen, seu inflexionem ex quadam analogia, & congruâ similitudine novorum verborum fit derivatio: Ut, quemadmodum dicimus *syllaturire*, pro eo quod est Syllæ mores imitari velle, *micturire*, *esurire &c.* quid vetat quominus juxta Analogiam dicamus, *dormiturire*, *scripturire*, *proscripturire*, *dicturire*, *bellaturire*, *nupturire*? Et quemadmodum dicimus *græcari*; cur non itidem dicemus *juvenari*, *poëtari*, *cornicari*, *rhetoricari*, *philosophari*, *theologari*? Cùm dicamus *nummati*, *scutati*; quare non itidem *pileati*, *larvati*, *personati*, & si quæ sunt similia? referres diminutiva, ut *villum* à vino, *ocellus* ab oculo. Similiter & derivativa, atque frequentativa, quæ non habentur in usu, sed recens formata videntur.

III. In Onomatopœiâ hæc spectanda esse, observat Ludovicus Carbon l. 1. de Eloqu. Primùm, quod nemo in fingendis

de

de novo nominibus majorem sibi licentiam sumat, quàm necessitas præbet. Secundò quod rarus sit verborum novatorum usus, maximè in oratione solutâ, in quâ si rarò, & suis locis, novato utantur vocabulo, reddatur illustris. Hanc tamen nominis fictionem apud Græcos inter maximas habitam esse virtutes, Fabius protulit cap. 6. l. 8. quod quidem meritò factum est; acris enim ingenii, purgatiquæ judicii est ex affectibus novam vocem adinvenire rerum naturæ consentaneam, idque frequentissimè factum asserit his verbis: *Plurima itaque posita ab iis, qui sermonem primi fecerunt, aptantes affectibus vocem; idque non alia libertate, quam qua rebus appellationes dederant.* Suâ verò tempestate, nova nomina effingere prorsus fuisse interdictum, monstrat sequentibus: *Deinde quasi consummata sint omnia, nihil generare audemus ipsi, cum multa quotidie ab antiquis ficta moriantur.*

Fuisset hic, Verborum innovandorum aperiendi fontes, locus. Ne tamen actum agamus cessandum est. Aperuimus enim primâ Parte, ubi de Verbis Novatis. Notandum tantùm hîc superest per Onomatopejam non solùm fingi vocem, sed modum etiam exprimi, quo sit res.



PARS

PARS QUARTA.

DE ORNATU TROPORUM,

Qui in Sententiâ consistunt.



X ipsâ denominationis fronte liquidò apparet, quodnam discriminis sit inter Tropos hucusque explicatos, & eos, de quibus in præsentiâ sermonem sumus habituri. Ji siquidem uno, vel paucis circumcluduntur verbis; hi verò totam per sententiam spatiantes, periodum, imò periodos complent. Quatuor autem communiter tum à Græcis, tum à Latinis Scriptoribus recenseri solent Tropi, qui in Sententiâ, suntque

Allegoria.
Periphrasis.
Hyperbaton.
Hyperbole.

De singulis specialiter suis capitibus agemus, simulque de Fabulâ, Adagiis, & Ænigmatibus, quæ Allegoriæ nomine veniunt, nonnulla instituemus. Sit itaque

DE

De Allegoria. Cap. I.

Significas occulta quidem, sed dicis apertè;
Cùm diversa refert sensus Inversio verba.
Solùm ex translatis, propriis vel mixta loquelis
Hæc cœpta à flammis, caveas ne desinat undis.

I. Allegoria ἀλληγορία, à Latinis *Inversio* dicitur, sive, ut Scaligero placet, *Allusio*, quâ pluribus Metaphoricis verbis, cùm aliquid dicatur, aliud simile est intelligendum. Juxta Cic. 3. de Orat. Quintil. l. 8. c. 6. *Est continuata metaphora*. Sed secum pugnare Fabium observo, cùm alibi Allegoriam ex propriis fieri verbis affirmet. Sic enim non esset Tropus, neque Metaphoræ continuatio. Scaliger verò l. 3. cap. 53. Alteram comparationis partem Inversionem appellat. Comparationis enim duæ sunt partes, puta, quæ de Mezentio, & quæ de Leone dicuntur. Si hæc sola ponatur, non autem prima, Allegoria resultat. Comparationis itaque pars est, non ea scilicet, quæ ipsam comparationem componit; sed quæ per se ipsam posita alio modo rem digerit. Si Mezentium non describam, ejus tamen robur, & animos indicare velim, ad hunc potissimum modum dicam per Allegoriam: *Leo impastus inter armenta sævit: omnia prosternit, totus fit cruentus suadente fame.* En sermo quomodo aliud explicat quam Mezentium, quem tamen designat. talis est apud Virgil. Ecl. 3. & Georg. 2.
Et jam tempus equum spumantia solvere colla.
Clau-

Claudite jam rivos pueri ſat prata bibere.
h. e. Satis jam dictum eſt, tempus eſt carmen finiri. Verùm & iſtud reponam, eſſe nonnullos doctiſſimos viros, qui conſtanter inficias eunt, Allegoriam non ſolis fieri verbis per Metaphoram translatis; volunt enim eſſe Tropum ex aliorum Troporum frequentatione factum; adducuntque, ut ratam faciant ſententiam, exempla nonnulla; quæ inter hoc Tullii ex Catil. 1. *Nullo me modo poſſe jiſdem parietibus tuto eſſe tecum, quod jiſdem mœnibus contineremur*. Ubi parietes pro Domo, mœnia pro Urbe, ajunt intelligi. Ego sanè, ut verum fatear, in allato exemplo, vix Allegoriæ veſtigium agnoſcerem.

II. Dividi autem ſolet Allegoria in *Puram*, & *Mixtam*. Pura dicitur, quæ ex ſolis verbis translatis conflatur; quales mox laudatæ ex Marone; ſeu Pura dicitur, quæ totam occupat orationem. Hujuſmodi ſunt, quæ ſequuntur. Senec. ad Polybium c.28. *In hoc tam procelloſo, & ad omnes tempeſtates expoſito mari, navigantibus nullus portus niſi mortis eſt*. Cic. ad Q. Cornificium l. 12. de libertate Rom. agens Reip. *Quamobrem, mi Quincte*, ait, *conſcende nobiſcum, & quidem ad puppim: Una navis eſt jam bonorum omnium. quam quidem nos damus operam, ut rectam teneamus: utinam proſpero curſu, ſed quicumque venti erunt, ars noſtra certè non deerit*. Item Lentulo l.1. *Tenere portum ſi nequeas navigando, tempeſtati obſequi artis eſt*. Item ad Attic. l.4. ep. 54. *Hæc enim una ex hoc naufragio tabula me delectat*. ideſt, hoc unicum ſub-

ſidium

ſidium calamitatis: hæ amicitiarum reliquiæ: ut explicat Carolus Stephanus. Sophocl. apud eundem ad Att. l.11. ep. 7. *Cupio iſtorum naufragia ex terra intueri.* Catil. apud Saluſt. *Incendium meum ruina reſtinguam.* Lucret. lib.4.

Suave mari magno turbantibus æquora ventis
E terra magnum alterius ſpectare laborem.

Virg. 3. Georg.

Tu quos ad ſtudium, atque uſum formabis agreſtem
Jam vitulos hortare, viamque inſiſte domandi;
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas.

Præ omnibus tamen celeberrima eſt Horatii Allegoria l.1. od.14. ad M. Brutum, in propugnandâ, ac defendendâ Rom. Rep. Caſſii Collegam. Inviƈtiſſimi ſiquidem hi duo Cives Rom. Populum à tyrannide vindicare conabantur in libertatem. Defunƈto Caſſio, profligatoque Reipubl. exercitu, M. Brutus Romanæ gentis imperterritus vindex, de libertate rurſus decernere meditatur, exercitum reparando. Diſſuadet Flaccus hac Ode, quam placet ſubneƈtere, ubi ex Quintiliani ſententiâ (quam contra Turnebum cum Lambino ſequor) *navim* pro M. Bruto, *mare* pro Bello, *fluƈtus* pro Civilibus diſcordiis periculo plenis, *portum* pro pace prorſus intelligit.

O Navis referent in mare te novi
Fluƈtus? ò quid agis? fortiter occupa
Portum. nonne vides ut
Nudum remigio latus,
Et malus celeri ſaucius Africo
Antemnæque gemant? ac ſine funibus

Vix durare carinæ
Possint imperiosius
Æquor? non tibi sunt integra lintea
Non dii quos iterum pressa voces malo.
Quamvis Pontica pinus
Sylvæ filia nobilis
Jactes & genus, & nomen inutile.
Nil pictis timidus navita puppibus
Fidit. tu, nisi ventis
Debes ludibrium, cave.
Nuper sollicitum quæ mihi tædium,
Nunc desiderium, curaque non levis,
Interfusa nitentes
Vites æquora Cycladas.

Juxta Lambinum aliquot locos ad majorem rei claritatem breviter explicabimus. *Nonne vides ut nudum remigio latus.* Nonne vides Cassium Collegam tuum interiisse? exercitum tuum, acceptâ clade, in Philippis perfractum esse? animos superstitum militum, metu perculsos concidisse? *Durare,* ideſt perferre significat actionem. *Imperio jus Æquor* tempestatem & fluctus belli civilis, vim & potentiam adversariorum. *Non tibi sunt integra lintea.* ideſt, integræ vires, exercitu diminuto. *Non Dii.* i. Præsides & custodes navis, quos antiqui in puppi locabant; & tutela, & insigne navis dicebatur. *Quamvis Pontica pinus &c.* Quamvis generis nobilitate, & antiquitate glorieris; milites ex hoc nihil fiunt ad pugnam alacriores: *Nil pictis timidus navita puppibus fidit &c.* pingere navium puppes nos etiam solemus, quod nihil valere ait auctor nautis roborandis; nostris tamen virtute fidei multum roboris

præ-

præſtare poſſunt, cùm Sacras imagines in ipſis pingimus ad tutelam, à quibus navis nomen deſumi ſolet. *Tu niſi ventis debes ludibrium.* i. niſi tu velis, aut fato quaſi cogaris tuarum fortunarum, libertatis, ac vitæ naufragium facere, *cave* ne amplius tentes belli fortunam. *Nuper ſollicitum quæ mihi tædium, nunc deſiderium.* Tu, Brute, qui mihi militum tribuno, Remp. te duce defendenti magno tædio fuiſti, nunc me abſentem deſiderio afficis, curâque recuperandæ libertatis torques. *Interfuſa nitentes &c.* vites æquora ſcopulis, & naufragiis infeſta, unde te explicare non facilè poſſis. Videtis, quàm optimè omnia quadrent Bruto, qui & ipſe fractus, & occiſus eſt; quemadmodum præviderat Horatius

III. *Mixta* Allegoria ea eſt, in quâ translatis propria commiſcentur verba, ut ſi dicas: *Nubem ſuſcepti belli, Divini* Solis *virtute evanuiſſe. Splendidam animorum lucem, denſa vitiorum caligine obſcuratam. Tetras inſipientis intellectus tenebras, receptis ſcientiarum luminibus expulſas.* Frequentiſſimè hoc Allegoriæ genus uſurpatur; quoniam claritatem, & gratiam addit Orationi. Talis eſt Cic. pro Milone, quam recenſet Fabius: *Equidem cæteras tempeſtates & procellas in illis dumtaxat fluctibus concionum, ſemper Miloni putavi eſſe ſubeundas.* Miſcetur Allegoria cùm dicitur *in illis fluctibus concionum.* Aliud exemplum mixtæ recitat Carbon ex ſacris Literis deſumptum: *Cujus ventilabrum in manu ipſius, & purgabit aream ſuam, & colliget triticum*

in

in horreum suum, paleas autem igni comburet inextinguibili. Permiscetur Allegoria, inquit Auctor, cùm dicitur *igni inextinguibili*. Minturnus Poët. 6. hoc addit:

Sed omnes una manet nox;
Et calcanda semel via lethi.

Totum enim unius esset modi, nisi sequeretur. *Calcanda semel &c.* Mixta quoque censetur hæc Lucani de Virgilio ad Pisonem:

Ipse per Ausonias Æneja carmina gentes
Qui sonat, ingenti qui nomine pulsat Olympum
Mœoniumque senem Romano provocat ore;
Forsitan illius nemoris latuisset in umbra,
Quod canit, & sterili tantùm cantasset avena
Ignotus populis, si Mæcenate careret.

Talis etiam Decimi Liberii Romani Equitis responsio Cæsari, ut mimum in scenâ ageret, postulanti.

Si tibi erat libitum literarum laudibus
Floris cacumen nostræ famę frangere;
Cur, cùm vigebam membris præviridantibus
Satisfacere populo, ac tali cùm poteram viro
Non flexibilem me conservasti ut carperes;

Quo in genere & species ex arcessitis verbis venit, & intellectus ex propriis: ut ait Quintilianus.

IV. Illud verò speciosissimum genus orationis, in quo trium permixta est gratia, *Similitudinis*, *Allegoriæ*, & *Translationis*. Tale est Cic. illud pro Murena, quod à Fabio commendatur: *Quod fretum, quem Euripum, tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio comitiorum? Dies intermissus unus,*

aut

aut nox interposita, sæpe perturbat omnia; & totam opinionem prava nonnunquam commutat aura rumoris. Similis formæ est Virgilianum illud ex 4. Georg.

Protinus aërei mellis cœlestia dona
Exequar: hanc etiam, Mæcenas, aspice partem.
Admiranda tibi levium spectacula rerum,
Magnanimosq; duces, totiusq, ordine gentis
Mores, & studia, & populos, & prælia dicam.

Et paullo post

Ut cùm prima novi ducent examina Reges
Vere suo, ludetque favis emissa Juventus;
Vicina invitet decedere ripa calori,
Obviaque hospitiis teneat frondentibus arbos:
In medium seu stabit iners, seu profluet humor,
Transversas salices, & grandia coniice saxa:
Pontibus ut crebris possint consistere, & alas
Pandere ad æstivum Solem, si fortè morantes
Sparserit, aut præceps Neptuno immerserit
Eurus.

V. Id autem in primis est custodiendum; ut quo genere cœperis translationes, eodem desinas; ne Horatianum illud Poët. cani possit:

Et cùm amphora cœpit institui, cur urceus
exit?

Multi enim, cùm initium à tempestate sumpserint; incendio, & ruinâ finiunt. Secundò etiam animadvertendum, ne nimis crebræ sint Allegoriæ, ne orationem obscuram, adeòque fastidiosam reddant. Postremo & illud admoneo, crebriùs frequentari Tropum hunc posse in Proverbiis, seu sententiis Proverbialibus; cujusmodi ingentem copiam legere est in sacris libris; ac præsertim jis, qui Proverbia, &

Ecclesiasticus inscribuntur. Cæterùm Allegoriam aut puram, aut mixtam perpetuam esse in Eclogis Virgilianis, imò ferme, & in Georgicorum libris, multi observant. Sæculo quoque adeo placuerunt nostro Allegoria, ut Orationum pariter argumenta per Allegoriam efferrent. Verè tamen usus Deo dante, plerumque evanuit; & graviores Propositiones successere. Sed de hoc alibi. Nunc de Allegoriæ speciebus nonnulla dicamus. Has hoc disticho clauseram.

Fabula vulgaris, pariterq; Paræmia, & Ænos
Sunt Allegoriæ quæcumque, & singula proles.

De Fabula, prima Allegoriae specie. *Cap. II.*

I. Fabula à *fando* dicta est, ut sentit Varro de LL. E fabulis aliæ sunt quæ *Logi*, seu *Apologi* dicuntur, Græcè λόγοι, & ἀπολόγοι: aliæ, quæ *Mythi* μῦθοι vocantur, sive Fabulæ simpliciter. Mythi, cùm argumenta Comœdiarum, ac Tragœdiarum complectantur, & omnem vim denique Poeseos, quæ fit per imitationem, communi nomine Poëticas etiam continet fictiones. Hujusmodi sunt Homeri infinitæ fabulæ circa Deorum Prolem, cognomina, honores, diversa artificia, & figuras. Hinc Hesiodi Ascræi Poëtæ Theogonia, hoc est Deorum generatio. Hinc fabularum liber ab Hygino Augusti Liberto ad Poëtarum ipsorum intelligentiam conscriptus, & Palæphati Stoici de fabulosis narrationibus liber alter. Item ejusdem Hygi-

Hygini Astronomia Poëtica, & Arati Phænomena, ideſt apparentia, quæ omnia, & quidem ſelectiora XV. Metamorphoſeon libris latinè Ovidius complexus eſt. Fulgentius pariter Carthaginenſis Epiſcopus Mythologiarum tres libros conſcripſit, ex quibus Natalis Comes Opus ſuum digeſſit. Memoriæ quoque prodit Euſebius Porphyrium libros compoſuiſſe, in quibus fabuloſas Deorum Genealogias ad naturæ rationem, & opificium perducere conatus eſt. Porrò univerſim Hermogenes d. Form. l. 2. c. 10. mentiendi genera h. e. Fabularum quator facit. Primum continet Fabulas circa ea omnia, quæ de Diis more humano dicuntur; quæ propterea vocat probabilia. Alterum eſt, quod continet tranſmutationes hominum in alias animalium formas; ut Cadmi in draconem; & marium mutationes in fœminas, ut Tireſię; vel fœminarum in mares, ut Cænei; vel in diverſas diverſarum animantium figuras, ut Centaurorum, Cyclopum. Tertium genus eſt, in quo exprimuntur irrationalia, aut inanimanta, aliquid rationalium atque inanimantium proprium peragentia; ut ſi dixerimus bovem locutum, equum ceciniſſe, aut ſimile. Quantum genus eſt per Hyperbolen; qualia ſunt illa Homerica, Achillem tam longè inſiliiſſe, & Ajacem, aut Hectorem tam ingentis magnitudinis lapidem facilè projeciſſe. Primum, ſecundum, ac quartum Fabularum geuus Epici Poëtæ ſibi aſcivere; tertium Oratoribus, atq; Philoſophis magis proprium fuit. Quid

verò hisce figmentis intendere voluerit Antiquitas, in confesso est; moralis nempè Philosophiæ præcepta populo tradere. Undè scribit Dionysius Halicarnass. Comędiam sub ludricâ larvâ philosophari. Et sanè quid sibi vult Danaes auro deceptæ fabula, nisi quod & Flaccus interpretatur: nihil tam esse munitum, quod non expugnetur pecuniâ; nihil tam incorruptum, quod muneribus non vitietur? Quid Herculis labores; nisi sudoribus, ac juandis aliis famam immortalem parari? Quid Midæ votum; nisi avaros,& insatiabiles suis ipsorum opibus præfocari? Quid Bacchus à fulmine flagrans in Nympharum aquas injectus; nisi vini ardorem, sobrio elemento restringendum esse? Quid Sirenum cantus; nisi assentationem, ut rem omnium blandissimam, ita & pestilentissimam? Quid Ulysses, qui solus poculo epoto, virgâque monstrificâ percussus; non est mutatus; nisi firmum illum, & constantem sapientis habitum, qui nec frangi terroribus, nec ullis affectuum illecebris ab honesto potest abduci? Quid tandem innuit (ut ejusmodi sexcenta prætermittam) Circes fabula, veneficiis homines vertentis in feras? nisi eos, qui nequaquam rationis ductum sequuntur, sed totos se se turpibus dediderunt affectibus jam præter hominis vocabulum, nihil hominis habere; sed ad pecudum degenerasse naturam? His, & similibus figmentis intendebant Poëtę, quod meliori eventu inde Oratoribus contigit; populorum scilicet mores instituere. Sed

ex

ex fabulatorum malitiâ decursu temporis factum est, ut undè medelam inde virus incauti homines asportarent. Verùm ut ad rem redeamus.

II. Apologus, seu simplex Fabula, de quâ hîc potissimùm nobis sermo est, nomenclaturam sortita est diversam ex Inventorum ratione; nam modò Sybaritica, modò Cylix, modò Cypria dicta est. Attamen consuetudo obtinuit, ut omnes Æsopicæ dicerentur, cæteris Inventoribus silentio obvolutis: eæ siquidem, utpotè Auctoris ingeniosissimi præ cunctis primas habere, quemadmodum disertè innuit Apollonius Tyanæus apud Philostrat. lib. 5. cap. 5. his verbis: *Ego verò Fabulas Æsopi ad sapientiam accomodatiores, quàm cæterorum esse censeo. Quæ enim de Heroibus confictæ sunt, de quibus tota materia Poëtarum, audientium aures corrumpunt, illicitos, ac nefandos eorum amores referentes; ceu fratrum, vel sororum nuptias, & in Deos calumniam, atque illiberales astus, & mutuas altercationes. Hæc cùm veluti gesta à Poëtis proferuntur, homines ad amorem, & zelotypiam inducunt; & divitiarum, regnique cupiditatem, ad quę fabulæ incitant: Æsopus verò &c.* Sanè Æsopum haud immeritò Sapientem esse existimatum, Gellius l. 2. cap. pen. Rhodiginus l. 15. c. 25. Erasmus, aliique innumeri scribunt; cùm quæ utilia admonitu, suasuque erant, & non severè, imperiosè præceperit, & censuerit; qui Philosophis mos erat; sed festivos commentus Apologos, ac delectabiles res salubriter, & prospicienter animadversas,

in mentes, animosque hominum cum audiendi quadam illecebrâ induxerit. *Nuda enim illa*, ut eruditè Julius Pollux Onomast. c. 1. *docendi præcipiendique ratio molestiam hominibus, ac satietatem affert*, quapropter temperamento opus erat, quo mordax illud verum, quo teneriores animi facile offenduntur, dulcedine leniretur; quo scilicet gratiora subirent animos præcepta virtutis. Non aliter quàm (Lucretii simile usurpabo ex lib. 1.)

Pueris absinthia tetra medentes
Cùm dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenus: interea perpotet amarum
Absinthi laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius tali facto recreata valescat.

III. Ex his facillimè Apologorum finis potest deduci. Phœdrus Augusti libertus, qui Jambicis versibus nonnullas Fabularum Æsopicarum digessit, & sermone quidem latino ac puro, in quo plurima antiquæ elegantiæ apparent vestigia lib. 2. Apologorum scopum detexit, ubi inquit:

Nec aliud quidquam per Fabellas quæritur;
Quàm corrigatur error ut mortalium;
Acuatque se se diligens industria.

Cælius duplicem finem constituit lib. 9 c. 21. Lect. Antiq. *Fabulas*, ait, *quarum nomen falsi professionem indicat, aut tantùm; conciliandæ auribus voluptatis, aut adhortationis ad bonam frugem gratia, repertas esse legimus*. In eâdem prorsus sententiâ fuit Cunradus Rittershusius Phœdri Scholiastes,

ftes, cujus hæc ferè ſunt in epiſtolâ præliminari. Hanc igitur ob rem Apologi, & narrationes fabuloſæ repertæ ſunt, quibus exempla virtutum ad imitandam, & vitiorum ad fugiendam ſub imaginibus alienarum perſonarum, vel etiam Brutorum animalium, nonnunquam, & rerum animâ carentiam proponerentur; & hominum, quibuſcum ſermo eſſet, vitia rectè reprehenderentur; qui fortaſſe reſilirent, & averſarentur monitorem, ejuſque ſalutarem medicinam reſpuerent, phreneticorum inſtar, ſi quis ſine circuitione cum ipſis agere vellet.

IV. Sciſcitabitur quiſpiam fortaſſe, quiſnam Apologorum hujuſmodi Inventor extiterit? Svidas, Heſiodum primum omnium Fabulas conſcripſiſſe teſtatum reliquit; qui Poëta annis tribus ſupra centum ſuperior Æſopo fuit. Idem ſentire videntur Quintil. Rhodig. & alii. Primus lib. 5. c. 11. his ſenſum ſuum protulit: *Fabulæ, quæ etiamſi ab Æſopo originem non acceperunt (nam videtur earum primus Auctor Heſiodus) nomine tamen Æſopi maximè celebrantur*. Alter l. 15. c. 26. hæc recitat: *In hoc verò commonendi ſumus, Fabularum, quæ Æſopeæ dicuntur, originem ab Æſopo non dimanaſſe, quando earum videtur primus auctor Heſiodus*. Iſidorus verò l. 1. c. 39. Alemonem Crotonienſem Inventorem putari dicit. At Decimator damnatæ memoriæ Scriptor in Theſauro Linguarum, Fabularum quæ tribuuntur Æſopo, auctores addit Heſiodum, Xenophontem, Plutarchum, & alios Græcos Scriptores: Maxi-

mum verò Planudem eas congesisse putat; ac Philosophicam vitam, sub ficto Æsopi nomine esse commentum; Æsapumque nullum extitisse. Verùm nos, est quod altiùs rem petamus. Cùm enim in Sacris Literis Apologi quandoque occurrant, Joahan scilicet, Nathan, & Joas, jique stylo simplici, ac familiari propositi, quales Æsopici; dicendum eos Fabulam primùm invexisse. Joathas enim, qui circa annum à creatione mundi 2927. floruit, teste Genebrardo, fuitque Hesiodo quatuor ferè sæculis anterior; fabulam lignorum, sibi Regem postulantium reperit ad reprehendendos Sichimitas; legiturque judicum c. 9. Nathan quoque Propheta prudenter quasi per cuniculos Regem suum Davidem aggressus est 2. Reg. 12. cùm is duplici se scelere obstrinxisset, proposito Apologo de Paupere unius oviculæ Domino, quâ ipsum dives quidam spoliavit; ipsum Davidem fecit judicem, ejusque deinde sententiâ condemnatum, atque constri. um tenet; suoque jugulat quasi gladio. Joas demum Rex Israël, Fabulam de Cedro, & Carduo scripsit eodem calamo lib. 4. Reg. c. 14. Nec Hesiodus morales Fabulas tali formâ reliquit (unam excipe de Accipitre, & Lusciniâ) sed carmine, ut suprà dicebamus, Deorum Generationem, ac insuper Poëmata duo, quorum primum *Opera, ac Dies*; alterum *Scutum Herculis* inscripsit. De Alcomone, sive, ut scribit Genebrardus, Alcmæone, de Xenophonte & Plutarcho, nihil ad nos: primus enim post Hesiodum plusquàm

duo-

duobus, ut laudatus Chronographus affirmat, alter quatuor, tertius demum octo ferme sæculis vixit.

V. His ad Studiosorum eruditionem delibatis, rem propinquiùs attingamus necesse est. Fabula itaque, seu Apologus definiri communiter solet: *Sermo fictus veritatem effingens*. Non tamen, ut notat Vossius in Etymol. L. L. nomine Fabulæ res ficta semper importatur. Nam Hieronym. ad Castrutium verum quidpiam proponens, Fabulæ nomine vocat, inquiens: *Et, ne veteres replicando historias longum faciam, & excedam mensuram epistolæ, brevem tibi fabulam referam, quæ infantiæ meæ temporibus accidit*: Si accidit quomodo fabula? Eodem sensu tale nomen frequentârunt Tertullianus in Apologetico, Orosius sub finem lib. 2. Symmachus, Sidonius, rursum Hieron. ep. ad Philemonem, aliique innumeri. Nomine etiam fabulæ minimè comprehensas volo nugas illas, qnas mulierculæ pueris ad otium recitare consuescunt; sed

Fabula dicetur nobis oratio ficta,
Quæ prodesse volunt, & delectare Poëtæ;
Aut jucunda simul, præstantiaque dicere vitæ.

Porrò Fabulæ tria sunt genera. *Rationale. Morale. Mixtum*. In rationali, hominem quidpiam facientem, aut dicentem effingimus. In Ethico Brutorum fingimus mores: vel inanima introducimus. In mixto rationale, & irrationale copulamus.

Attexi autem Apologis plerumque documentum assolet, quo figmenti enuntionis revelatur utilitas. Id ἐπιμύθιον Græci nun-

nuncupant, *affabulationem* Latini: quod si documentum præfigatur Fabulæ προμύθιον appellabitur rectiùs; latinèque *Præfabulationem* dixeris. Cujuscumque generis Fabularum exempla subnecto Prosâ & carmine: Carmine quidem ex Phœdro, Prosâ meo ex marte.

Exemplum Fabulæ Rationalis.
Phœd. l.3. num.44.
Æsopus, & Petulans.

Successus ad perniciem multos devocat.
Æsopo quidam petulans lapidem impegerat,
Tanto, inquit, melior. assem deinde illi dedit
Sic prosecutus: plus non habeo mehercule;
Sed unde accipere possis monstrabo tibi:
Venit ecce dives & potens: huic similiter
Impinge lapidem, & dignum accipies premium.
Persuasus ille, fecit quod monitus fuit;
Sed spes fefellit impudentem audaciam
Comprehensus namque pœnas persolvit cruce.

Figulus, & Sculptor.

Sculptorem Figulus de tarditate operum increpabat. Ille verò: Tu quidem coquinis testas, at ego templis, aulis, & theatris statuas, & trophæa ad æternitatem effingo.

Exemplum Fabulæ moralis.
Ex Phœd. l.1. num 20.

Stultum consilium non modo effectu caret;
Sed ad perniciem quoque mortales devocat.
Corium depressum in fluvio viderunt canes;
Id ut comesse extractum possent faciliùs,
Aquam cœpere bibere, sed rupti prius
Ibi periere, quàm quod petierant contingerent.

Serra, & Lignum.

Cum lignum in asseres secaretur, acriter de serrâ conquestum est, quod taliter per

ipsam

ipsam torqueretur. At illa: gratias mihi referre debes; quoniam labore me ipsã destruo, quo te silvestre, pabulum ignis in talem formam redigam, quâ ad Urbium ornamentum disponaris.

Exemplum Fabulæ mixtæ.

Ex Phœd. l. 1. num. 15.

Asinus ad Senem Pastorem.

In Principatu commutando sæpius
Nihil præter Domini mores mutant pauperes.
Id esse verum parva hæc fabella indicat.
Asellum in prato timidus pascebat senex
Is hostium clamore subito territus
Suadebat Asino fugere, ne posset capi.
At ille lentus: quæso num binas mihi
Clitellas impositurum victorem putas?
Senex negavit: Ergo quid refert mea,
Cui serviam? clitellas dum portem meas.

Homo, & Lutum.

Homo quidam cùm per cœnosam viam incederet, ejusque vestes insiliente luto inquinarentur, contra lutum indignatus: Te, inquit, non utique coinquinassem, nisi me pessundâsses.

Sed ne videamur inopes à copiâ facti in tantâ fabularum multiplicitate, nonnulla rursum exempla apponamus, eaque ex probatis Auctoribus petita.

Aliud Rationalis Fabulę exemplum

Ex Gabrio, seu Ignatio Diacono.

Eques, & Agricola.

Leporem petenti militi, Agricola exhibet.
Attollit ille, lustrat, & pretium rogat.
Post incitato equo fugit. Tum rusticus:
Properare noli; munus hoc dono tibi.
Servare quod nequis vel ultro id abnue.

 Argu-

Argutus, & Princeps
Ex Bernardino Baldo.

Argutus quidam Principem interrogavit; cur adeo liberalem se in scurras & blaterones præstaret. Cui ille. Quoniam ejusmodi homines liberalitatis famam evulgant. Utique, respondit alter, sanè, si vitium in virtutem verteretur, ac malam in bonam famam.

Ex Apthonii Progimnasmatibus.
Medicus.

Ægrotum curabat Medicus. Ægroto è vivis sublato, ille efferentibus dicebat: Homo hic, si vino abstinuisset, & clysteribus fuisset usus, non interjisset. Ad ea respondit quidam Quorsum ista, cum nulla amplius esse possit utilitas? tunc admonere decebat, cùm ægrotus his uti poterat. Fabula significat, oportere auxilium præsentaneum esse.

Aliud Moralis Fabulæ exemplum
Ex Horat. epist. I. ad Mæcen.
Vulpes, & Leo.

Quod si me populus Romanus fortè roget, cur
Non, ut porticibus, sic judiciis fruar jisdem;
Non sequar ac fugiam quę diligit ipse, vel odit,
Olim quod Vulpes ægroto cauta Leoni
Respondit, referam; quia me vestigia terrent
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.
Bellua multorum es capitum.

Idem de Vulpe, & Mustellâ.

Forte per angustam tenuis vulpecula rimam
Repserat in cameram frumenti, pastaque rursus
Ire foras pleno tendebat corpore frustra.
Cui mustella procul: si vis ait, effugere istinc,
Macra cavum repetes arctum, quem macra subisti.

Hac

Hac ego si compellar imagine cuncta resigno;
Nec somnum plebis laudo satur altilium, nec
Otia divitiis Arabum liberrima muto.

Joathæ de Lignis. *Ex Judic. 9.*

Jerunt ligna, ut ungerent super se Regem; dixeruntque olivæ: impera nobis: quæ respondit. nunquid possum deserere pinguedinem meam, quâ & Dii utuntur & homines, & venire ut inter ligna promovear? Dixeruntque ligna ad arborem ficum: veni, & super nos regnum accipe, quæ respondit eis: Nunquid possum deserere dulcedinem meam, & fructus suavissimos, & venire, ut inter ligna promovear? Locutaque sunt ligna ad vitem: veni, & impera nobis: quæ respondit eis: Nunquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum, & homines, & inter cætera ligna promoveri? Dixerunque omnia ligna ad rhamnum; veni, & impera super nos: qui respondit eis: Si verè me Regem vobis constituitis, venite & sub umbra meâ requiescite; si autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno, & devoret Cedros Libani. Legite totum caput, ubi Fabulæ explicatio ex funestissimâ historiâ colligitur.

Joæ de Carduo. *Ex 4. Reg. 14.*

Carduus Libani misit ad Cedrum, quæ est in Libano, dicens: da filiam tuam filio meo uxorem: transieruntque bestiæ saltus, quæ sunt in Libano, & conculcaverunt Carduum. Percutiens invalvisti super Edom, & sublimavit te cor tuum. Contentus esto gloriâ, & sede in Domo tuâ. Quare procuras malum, ut cadas tu & Judas tecum?

Aliud

Aliud mixtæ fabulæ specimen
Ex Gabrio, sive Ignatio Diacono.

Puer, & Scorpio.

Puer locustas ceperat: mox Scorpio
Manum propinquat: cæterum is caveas, monet:
Me si tetigeris, inquit, actutum gemens
Veras locustas è sinu projeceris.
Haud cum malignis tuta conversatio est.

Ex Demosthene.

Pastores, & Lupi.

Lupi suaserunt Pastoribus ut in amicitiam convenirent; cumque hoc Pastoribus placuisset, rogarunt Lupi ut prima sibi vice securitatis canes obsides darent, quibus jurgiorum causa imputabatur. Quo facto Lupi, Canibus neci datis, omni demptâ formidine, gregem universum non solum pro satietate, verum & pro libidine laceravere. Fabula docet, Urbes ac Populos Custodibus non temere spoliandos; ne ab hostibus facilè opprimantur. Verùm Exemplorum satis.

VI. Restat nunc studiosos admonere, trifariam (quidquid dicant alii) exponi, seu proponi Fabulam posse. Primò strictim, & sinpliciter; cùm summam Apologi paucis exponimus stylo plano, & æquo. Hujusmodi sunt quæ hucusque in exempla protulimus, sicuti etiam Æsopicæ omnes. Secundò concisè, cùm ad fabulam obiter tantùm alludimus: ut, si dixero: *Si tua scripta lacerant, ac damnant imperiti; noli laborare; certè doctissimo cuique maximè probantur. Quid enim mirum, si gemmam aspernatur Gallus Æsopicus?* Aut si quis dicat: *Nullus hostis quantumlibet impotens*

potens, humilisque negligendus, cùm nec Scarabæum impune contempserit Aquila Æsopica. Vel hoc pacto: *Tuis ipsius benefactis nitere, non majorum splendore; ne tibi usu veniat quod Æsopi corniculæ.* Hac etiam ratione fiet allusio: ut, si de maledico seipsum contentionibus lædente, dixero: *Mustella Æsopica limam lambit.* Tertiò demum exponi poterit Fabula diffusè cum præfatione commendationis; quemadmodum in Rhetorices Proginasmatis habetur. Specimen exhibet Gellius lib. 2. cap. 29. Noct. Att. in explicando Cassitæ Apologo: *Æsopus ille è Phrygia fabulator &c.* nam locus in promptu est. Commendari autem poterit tum Auctor ipse, tum Apologorum genus. Deinde in describendis animantium aut rerum formis, ac naturis longiùs immorabimur. Quandoquidem hoc jam ipsum, & cum voluptate accipitur, & ad eruditionem liberalem pertinet; veluti, si Aquilam dixeris regnum in avium genus obtinere; armigeram esse Jovis; non offendi fulmine; non connivere ad ardentissimos Solis radios; perniciosissimo volatu ultra nubes ferri: denique quæcumque ad Aquilæ generositatem attollendam pertineat. Item producemus si quid animanti cuipiam fabulis Poëtarum est attributum. quod genus è Lycaone natos Lupos, ex adolescente perdicem, cygnum Apollini sacrum esse, & sub fatalem horam suavissimè canere; corvum ejusdem fuisse nuncium, & ob cessationem ex albo nigrum factum. Aut si quid proditum est historiis insigniter ab his factum.

Cùm

Cùm autem ad ipsum Apologum ventum erit; fusiùs, ac latiùs narrare licebit; sed citra tædium. Id assequeremur si facetâ quadam imitatione, quod est in hominum vitâ ad fabulæ mores accommodabimus. Præterea si ad eandem rationem, sermones, sententias, dictaque effingemus. Quia verò Adolescentibus potissimùm hæc scribo, qui magis protritam terere amant viam; optimum fortasse erit accuratiùs quoque nonnulla capita præscribere, quibus Fabula dilatari possit; indeque etiam exemplum subnectere. Capita hæc poterunt esse.

1. Exordium Auctoris laudem complectens, vel Fabulæ utilitatem atque delectationem.
2. Præfabulatio.
3. Narratio ipsius fabulæ à natura animalis, seu rerum in eâ complexarum, cum sermocinatione per prosopopœjam.
4. Similitudo, seu collatio ejusdem rei cum alterâ, vel fabulâ, vel exemplo.
5. Contrario.
6. Epilogo brevi complectente quod ex totius exercitationis processu volumus effici.

EXEMPLUM.

Exord. Quidquid delectationis melle conspersum exhibetur, gratissimum quidem est hominibus, qui voluptate mirum in modum capiuntur; efficiturque ut ejusdem desiderio allecti, cum ipsâ bonos etiam

tiam ebibant mores, & bene vivendi iter instituant. Id ex Apologorum oblectamento aucupamur; Aliorum enim labe illimes facti, alienisque eruditi impensis, omnem vitiorum turpitudinem pro viribus evitamus; iisque haudquaquam capi patimur rerum illecebris, quibus incauti fascinari plerumque solent, ac decipi.

Præfab. Sanè hoc ipsum quopiam doce- mur commento; rerum scilicet species minimè prosequi; proprioque penu contentos nos quiescere oportere; ne melioris boni fuco allecti, alieno simul privemur, ac proprio.

Narrat. Quemadmodum Æsopico accidisse, legimus, cani. Hic flumen trajiciens carnis frustum ore portabat; cumque se se acclinasset; ingentiùs carnis frustum introspexit; umbram nempè illius, quod ore gestabat. Cupiditate invitatus, ac specie, ore dehiscens arripere dum tentat; umbram venatus, carnem amisit.

A natura animalis. Cani enim aviditas natura competit, & prædam augendi cupido semper inolescit; quare venationi sedulus incumbit; & bene, cum venatoribus insatietas, proprietas sit; unde Ovidius

Venator sequitur fugientia, capta relinquit:
Semper & inventis ulteriora petit.

Verùm canibus non modò, venatoribusque proprium est, nescire modum; sed cuique etiam hominum, veluti à naturâ inditam cupiditatem aspicimus, qui cum ea habeant, quæ ad usus vitæ necessaria cre-

credantur, attamen novis semper conatibus inquietâ mente perpetuò feruntur in meliora. Quid inde? Irrito plurimùm conatu, aut summo domesticarum rerum dispendio: Cùmque grandiorum inhiant acquisitioni, fit, ut jam antea adeptis destituantur.

Ab exemplo. Idipsum Camelo evenisse proditum est, qui cùm aures sibimet abscidisset, ut cornua, quæ amabat, reponeret; utroque carere adactus fuit ornamento. idipsum Crœso Lydiæ Regi, qui cùm Cyri Persarum Regis affectaret imperium; & suo, & alieno privatus est Regno.

A contr. Quàm saniori mente se præstitere, qui suâ sorte contenti cupiditates veluti fræno moderati sunt; ne earum ductum secuti in maxima versarentur discrimina!

Epilog. Insatiabiles enim sunt, ut optimè Aristoteles, improborum cupiditates; qui fortunæ melioris avidi, sæpe præsentia bona amittunt; aliosque suo docent experimento; modum in rebus servandum esse.

VII. Demum intelligant Pueri, non licere cuiquam pro libito fabulas effingere; quod monuit etiam in Rhetoricis Philosophus: ut enim aptè confingantur, cùm ingenio valeamus oportet, tum animantium naturas (sunt autem infinitæ varietatis) penitus animadversas habeamus, necesse est: Insulsum enim esset, firmitatem arundini, timiditatem Leoni, Lepori magnanimitatem tribuere. Denique Personæ etiam ratio habenda est. Multa

in

in hac re à gravibus viris prudentiæ sale temperata placuerunt, quæ si ab adolescentibus dicta fuissent in opinionem venissent scurrilitatis. Hinc vetustas venerata est Mencii Agrippæ Apologum, quo plebem Romanam à seditione liberavit; de corporis scilicet membris adversus ventrem conspirantibus; hac potissimùm de causâ, quòd tanti viri sit, ac tempori maximè consentaneum. Pari laude exceptæ sunt à doctis Themistoclis altera de Vulpe muscis obsitâ; quâ Atheniensibus persuasit, ne novarent Magistratus: Gregorii Nazianzeni ad Celusium de cygnis, & hirundinibus, Gerson tr. 8. in Magn. de Vulpe, palumbis, & passere. Similiter magno in pretio habitæ sunt centum, quæ extant, fabellæ Bernardini Baldi Urbinatis, generis nobilitate, vitæ innocentiâ, doctrinæ, ac eruditionis multiplicitate clarissimi, maternâ dialecto conscriptæ, ac Venetiis 1582. editæ, quas quidem omnes Latio donare optimum foret. Ex his unicam protulimus superiùs numero V. cunctas Etruscum in carmen candidè versas Romæ nuper edidit nobilis Vates Maceratensis Joannes Marius Crescimbeni nostræ Arcadiæ Custos vigilantissimus; à quo ipsius etiam summi Viri vitam eruditissimè scriptam publici juris fieri propediem expectamus. Pompejus demum Vigiliensis Episcopus decem supra centum fabulis Bestiarum, scholam instituit ad homines erudiendos, eamque Cesenæ apud Receputum 1680. publicam fecit. Et hæc de Apologis dicta sufficiant.

P A

PAROEMIA SIVE PROVERBIUM, SECUNDA ALLEGORIAE SPECIES. *Cap. III.*

Est mihi vulgatum, scitumq; Parœmia dictum,
Quam traslata decent, & dictio strictior ornat.

I. FAbulæ, de quâ satis egimus, affinis est Parœmia παροιμία, quæ, teste Quintil. l. 5. c. 11. *Est velut fabella brevior, & per allegoriam accipitur.* Hanc Latini, *Proverbium*, & *Adagium*, sive *Adagionem* dixere; verum Proverbii voce magis delectatus est Cicero, Adagii Varro. Græca vox Parœmia, non à *via* quasi sit trita, & Parodica sententia; sed à *verbo* dictam censeo cum melioribus; ita ut οἶμος undè originatur, potiùs *verbum*, quam *viam* significet. Adagium autem appellatur quasi *ambagium*, ex Varr. l. 6. L. L. sententiâ quòd ambiat orationem, neque in unâ aliquâ re consistat: sive quasi *circumagium*, quòd passim per hominum ora vagetur, ut credit Scotus. Proverbium verò, dicitur quasi omnibus commune verbum, h. e. sententia; id enim hic *verbum* significat, teste Vossio.

II. Nihil magis controversum, ac proindè varium Parœmiæ definitione. Multi pro libito, aut sententiâ multas effingere studuere; non tamen omnes æquè probandas. Talis est illa Donati. *Parœmia est*, inquit, *accomodatus rebus, temporibusque proverbium*. Quæ descriptio non minus inepta est, atque esset ista, quâ ἄνθρωπος i. homo definiretur: *Anthropos est ratione utens*

utens homo. Nec etiam arridet Carboni Diomedis altera, quâ Parœmiam definit: *Proverbii usurpationem*; nam per ipsum Diomedem Parœmia non erit Proverbium; sed Proverbii usus; ut si definiens ἵππον i. equum dixero: *Hippus est equi usurpatio*. Græcorum finitiones hæ recitantur: *Proverbium est sermo ad vitæ rationem conducibilis, moderata quadam obscuritate multum in se continens utilitatis*. Sive. *Proverbium est sermo rem manifestam obscuritate tegens*. Sed ne longiùs evagemur, Erasmus damnatæ memoriæ Scriptor, qui rem hanc fusè tractavit, in Prolegom. ad suas Chiliadas, hoc pacto definit: *Est celebre dictum scita quampiam novitate insigne*. In quâ definitione *dictum* tenet locum generis: *celebre*, differentiæ; *scita quampiam &c.* proprii vicem obtinet. Verùm & in hac definitione requirunt nonnulli utilitatem, ut quæ ad rationem Adagii videtur pertinere. Scaliger l.3. c.84. *Est oratio vulgata allegorica, seu ad aliud alludens*. D. Basilius init. Prov. Salom. Trivialem à Sacrâ Parœmiâ secernetis; Primam vult definiri *Verbum viale vulgi usu tritum, quod à paucis ad plura sit idoneum transferri*. Alterum sic: *Sermo utilis moderata cum obscuritate prolatus, multum in se continens utilitatis, multùm etiam in recessu intelligentiæ recondens*. Nos sic exprimimus: *Parœmia est dictum, scitum, vulgatum, metaphoricum*. Tria quippe requiruntur, ut ipse innuit Erasmus ad Parœmiam constituendam

Brevitas, Sententia, Figura.

Brevitas, ut quasi aliquo Laconismo distin-

stinguatur à sermone communi; & ideo *Dictum* quod propriè brevitatem includit.

Sententia, & ideo *scitum*, quod aliquod scilicet documentum contineat, quod ad plura transferri commodè queat. *vulgatum* denique, idest vulgo notum, ac celebre.

Figura, per quam Tropum aliquem hîc intelligi volumus; sed quoniam metaphora Troporum omnium mater, ac fons; ideo diximus metaphoricum. Verum hæc pars non semper Parœmiæ conjuncta est; permultæ enim occurrent apud summæ auctoritatis Scriptores, quæ nulla metaphora teguntur. Prædicta omnia placet hîc duobus exemplis confirmare. Primum Adagium est Ciceronis ad Atticum l. 5. Non nostrum onus. *bos clitellas*? Bovi enim clitellas imponere, quæ sellæ sunt dorsuariæ, bestiis imponi solitæ ad onera faciliùs gestanda, significat provinciam alicui demandare minus idoneo; sicuti bos ad clitellas minime aptus est; hoc autem pluribus posset accomodari. Alterum exemplum eruitur ex Danaidum fabulâ, quæ ob sponsos interfectos, has apud inferos dare pœnas dicuntur, ut situlis perstillantibus aquam hauriant, atque in dolium item perfundant, gravi nimirum, sed inutili labore: *Pertusum dolium*, vel *inexplebile*. Ejus autem varius esse potest usus: quadrat enim vel edaci, vel obliviosо, vel bibacitate inexplebili viro; avaris itidem, ingratis &c.

III. Multiplicem verò fontem habere possunt

possunt celebriora Proverbia.

1. Ex oraculis peti possunt, quod genus est illud: *Neque tertii, neque quarti.*

2. A Sapientum dictis, quæ Oraculorum instar antiquitas celebravit; ut: *Ardua quæ pulchra.*

3. A vetustis Poëtis, ut Pindaricum illud: *Contra stimulum calcitrare.* Homericum alterum. *Rem factam etiam stultus intelligit.*

4. Ex Tragœdiis, & Comœdiis, quæ mutuo quodam commercio & usurpat pleraque jactata, vulgo, & gignit, traditque vulgo jactanda; ut illud Senarii Pratinæ Trag. Poëtæ apud Ath. 14. *Medium sequere.*

5. Ex fabulis, ut: *Orci galea. Gygis Annulus.*

6. Ex Apologis, ut: *Non videmus manticæ quod in tergo est*; desumptum est hujusmodi adagium ab Æsopico Apologo, quo fingitur, quemlibet mortalium binas habere manticas. ante pectus unam, è tergo alteram; sed in priori aliena, in posteriori vitia nostra immitti.

7. Ex Historiis; ut illud *Romanus sedendo vincit.* Item aliud. *Pisarum suppetiæ*, seu *post bellum suppetiæ*, in eos qui periclitantibus opportunè non tulere subsidium.

8. Ex moribus & ingenio, sive hominis alicujus sive etiam animantis, ut: *Syri contra Phœnices. Cornix Scorpium* in eos qui alios lædunt, & à quibus æquè læduntur. *Crocodilli lacrymæ &c.*

9. Ex rei vi quapiam insigni, ac vulgo nota,

nota, ut: *Lutum luto purgare*; ideſt, non ſordes tollere; ſed immutare, aut potiùs augere.

IV. Habet ſuas magis peculiares figuras Adagium: Hyperbolen puta, Repetitionem, Metaphoram, ſeu Allegoriam.

1. Hyperbole ſumitur interdum vel ab ipsâmet re: ſi hominem ſceleſtum *ſcelus* dicam; dedecoroſum, *dedecus*; impurum *ſterquilinium &c.* quorum unumquodque per comparationem efferri poteſt, ut: *deformitate deformior ipſa ſiti ſiticuloſior*.

2. Trahitur à rebus ſimilibus, ut: *melle dulcior; pice nigrior: auro purior; nive candidior: vitro fragilior: pluma levior: oleo tranquillior &c.*

3. Ab animantibus, ut: *paſſere ſalacior: vipera virulentior: lepore timidior: phœnice rarior: echino aſperior: limace tardior &c.*

4. A Perſonis Deorum, ut: *Diana jactantior: Venere formoſior: Mercurio facundior: ipſis Charitibus humanior &c.*

5. A Perſonis fabuloſis, ut: *Tantalo ſitientior: Oreſte inſanior: Iro pauperior: Penelope caſtior: Glanco ſtupidior &c.*

6. A Perſonis Comœdiarum, ut: *Paraſito edacior: Phormione confidentior; Euclione tenacior: Gnathone adulantior &c.*

7. A Perſonis Hiſtoriarum, ut: *Phalaride crudelior: Polycrate fortunatior: Crœſo ditior: Craſco nummatior: Curione oblivioſior &c.*

8. A Gentibus, ut: *Scytha aſperior: Parthis fugacior: Arcade ſtolidior: Pœno perfidior: Sybarita faſtuoſior &c.*

9. Ab Officiis, ut: *Areopagita triſtior: Carni-*

Carnifice immanior : Cinædo mollior : Milite gloriosior &c.

Repetitio interdum occurrit, sed minùs frequenter, ejusdem, aut similis iteratione vocis, vel contrariarum contextu: ut si dixero : *Perdam te malum malè : Mali corvi malum ovum : Alumnus sapientis sapiens: Malo malus; Amici amicus &c. Et justa & injusta: probè, & improbè: volentibus, & nolentibus: infelix felicitas &c:*

Metaphora, & Allegoria magis propriæ sunt Adagiis, præcipuè quæ sumuntur à rebus insignibus, & vulgò celebratis, ut à navigatione, à bello v.g. *Secundis navigare ventis : naufragium facere : vertere vela : tenere clavum &c. bellicum canere : versis gladiis pugnare : cominus, atque eminus pugnare : conserere manus; conferre pedem &c.* quæ si paulò longius traducantur abeunt in Parœmiæ formam. Item quæ ducuntur à rebus notis, ac vehementer quotidiano sensui familiaribus : ut, quoties corporis gestus ad animi rem transferuntur : ut, *premere pollicem*, pro favere : *corrugare frontem*, pro molestè ferre : *ringi* pro indignari : *exporrigere frontem*, pro hilarescere. Præterea quæ trahuntur à sensibus corporis, velut : *olfacere* pro rescifcere; *degustare* pro experiri. Proverbii pariter faciem ferè habent quæ sunt artium peculiaria vocabula, quoties per metaphoram aliò detorquentur, ut : *bis per omnia* à Musicis : *sesquipedalia verba* à Mathematicis, *Incudi reddere* à fabris ærariis : *ad amussim* à fabris lapidariis : *nullam lineam duxi*, à Pictoribus : *extremum actum adjungere* à

L Scœ-

Scœnis &c. Tandem quæcumque translatum sensum præseferunt ad Parœmiæ speciem possunt accedere.

V. Hujus loci existimo admonere excludi à Parœmiis quædam affinia, ut sunt γνῶμαι, quas Latini sententias dicunt; habentque simplicem, & apertam significationem; &, ut sentit Fabius l.8.c.5. similes sunt consiliis, & decretis. Hujusmodi fuere illa, quæ ut Oracula in Apollinis Delphici templo appensa fuere aureis literis, Chiloni adscripta, ex Plin. l.7. c.32. nempe. *Nosce teipsum. Nequid nimis. Comes alieni æris, atque litis, miseria*. Item Platonica illa. *Sponde, præsto noxa est*. Et illud aureum Senecæ: *Qui notus nimis omnibus, ignotus moritur sibi &c.* Consulantur Gnomologiæ Strobæi, Schrevelii &c. Apopthegmata itidem à Parœmiâ secluduntur, à quâ eodem discrimine dissident, ac sententiæ. Est autem Apophtegma, ut placet Tullio 1. off. facetè dictum, non tamen cujuslibet, sed Ducum, Philosophorum, Legatorum &c. ut illud Simonidis ad quendam in convivio tacentem: *Siquidem stultus es, sapientem rem facis; si verò sapiens, stultam. Decet Cæsaris uxorem non solum crimine, verum criminis suspicione vacare &c.* Observandum tamen est, dari etiam posse, ut sententiâ cum Parœmiâ jungatur; aut etiam ab illâ secernatur; non aliter quam album ab homine. Ut enim non statim album quod homo, neque protinùs homo quod album; nihil tamen vetat, id album esse, quod sit homo; ita prorsus interdum fit, sed non perpetuò, ut

Parœ-

Parœmiam sententia complectatur, vel sententia Parœmiam, ut: *Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet*: & illud: *Pascitur in vivis livor, post fata quiescit.* quæ quidem sententiæ sunt, adagia non sunt. E contra *In portu navigo*, Proverbium est, non sententia: ac tandem: *ne puero gladium*, Adagium simul est, & sententia. Idem dicendum de scommate, ut: *Soles duabus sedere sellis*, simul & Proverbium, & scomma est. Secus *Ad molas sunt*, scomma est, non Adagium. Sunt autem in hoc genere adeo commodè dicta, ut facilè possint in Adagiorum ordinem ascisci; ut illud: *Amicus usque ad aras*; Adest enim brevitas, unà cum sententia, & translatâ locutione.

VI. His, ut arbitror, scitu dignis, breviter adnotatis, restat ut de Proverbiorum dignitate, atque utilitate paucula delibemus. Dignitas hinc conjici valet, quod præcipui nominis auctores non indignum duxere, ut de jis vel integra conscriberent volumina. Extat adhuc potentissimi, atque sapientissimi Salomonis liber, qui Proverbiorum inscribitur; ut Prophetæ, aliique Ecclesiastici Scriptores ea passim suis scriptis inseruere. Ex Ethnicis, Aristoteles, Laërtio teste, unicum; item Chrysippus duos Paremiarum libros conscripsit. Extant & nonnulla Plutarchi collectanea Proverbiorum. citantur item ab Athenæo Paremiographi permulti, quos hìc recensere longum foret. Sacras porrò Paremias ex Catholicis Polydorus, & quidam alii colligere cęperunt. Ante illos

illos Erasmus eruditissimum opus Adagiorum evulgavit, doctum quidem, & elaboratum, sed erroribus fidei candori summoperè nocuis hinc inde consperssum; quapropter Sacrosancti Tridentini Concilii Patres ritè sanxere, ut notis explanatum, ac per gravissimos Theologos expurgatum, à Paulo Manutio typis iterum mandaretur illime. Erasmianis Chiliadibus auctarium fecerat Adagiorum, ex Hebræis, Arabis, Græcis, ac Latinis excerptorum, Jacobus Grynæus Francof. 1670. quod cum sit ejusdem Erasmi farinæ, meritò prohibitum est. Extant & Jo: Sartorii Adagiorum Chiliades tres Lugd. Batav. 1656. Martini quoque del-Rio Adagialia sacra Bibliorum &c. Et hæc quoad Parœmiæ dignitatem; modò quæ ad utilitatem. Et primùm. Conducit Parœmia ad persuadendum: quid enim adferri potest probabilius, quàm quod ab omnibus vulgò receptum est; quodque tot ætatum, tot nationum consensus, & velut idem suffragium comprobavit? Fit autem quandoque ut sententia proverbio quasi vibrata feriat percellatque acriùs auditoris animũ, & aculeos quosdam cogitationum relinquat infixos. Secundò. Valet Parœmia ad orationis ornatum. Antiquitas enim majestatem conciliat orationi, & acuta brevitas, sermoque figuratus, ac facetus multùm gratiæ, & amœnitatis aspergit. Conducit demum ad auctores quosquẽ etiam vetustissimos intelligendos Adagiorum cognitio. In illis enim ut plurima alia, ita & hæc depravatissima sunt; propterea quod

quod verè ænigmaticum quiddam habeant, quod etiam à mediocriter eruditis non intelligatur: tum quod plerumque velut ex abrupto interſeruntur; nonnunquam etiam mutilatim; aliquoties unico verbo notantur, vel ad illa tacitè fit alluſio. Itaque ſi prouerbium nos fugerit, non intelligetur ſententia; & quamvis intellecta videatur; tamen magna voluptatis pars deerit, ignoratâ Parœmiâ. Porrò difficultas circa Proverbiorum intelligentiam eadem prorſus eſt, quam notat vir Cl. BeyerlincK circa Parabolas: ex temporum enim, & locorum diſtantiâ, quibus habuere ortum, nobis præcipuè procedit: nam res illæ, quæ aliis temporibus, aliiſque in regionibus à noſtris longe diſtantibus, lippis patebant, atque tonſoribus, nunc niſi hiſtoricus, aut alius quiſpiam Scriptor retulerit, jacent in tenebris.

VII. Diximus de Parœmiæ dignitate, atque utilitate; nunc nonnulla de illius uſu dicenda. Jis itaque utemur (quod de epithetis olim præcepit Ariſtotiles in Rhet., non tamquam cibis, ſed veluti condimentis; ideſt non ad ſatietatem; ſed ad venuſtatem, & gratiam; ac proinde ne ſint nimis crebra, nec temerè, ac per vim intruſa, ſed velut ſua ſpontè nata; ne obſcuriora, & cum res exiget, feſtiva accedere poterit interpretatio: quemadmodum ridiculum foret, ſi quibuſdam locis gemmam alligaveris; itidem abſurdum, ſi non ſuo loco adhibuerimus Adagium. Sed ne pluribus rem proſequamur; de Parœmiæ uſu idem prorſus præcipi po-

test, quod Fabius l 8. Institit. Orat. de Sententiis usurpandis precepit. Primùm, quemadmodum diximus, ne nimis crebræ occurrant; densitas enim earum obstat invicem, quò minùs eluceant. Sicuti nec pictura, in qua nihil circumlitum est, eminet; ideoque artifices, cùm plures simul, ac diversas res congerunt, spatiis distinguunt, ne umbræ in corpora cadant. Subsistit enim omnis Parœmia; ideoque post eam utique aliud est initium; undè soluta ferè oratio est, & è singulis non membris, sed frustis collata, structurâ caret. Porrò ut adfert lumen clauus purpupuræ debito loco insertus; ita certè neminem deceat intertexta pluribus notis vestis. Accedit hoc quoque incommodi, quod crebras captanti Parçmias, nonnullas necesse est admiscere vel frigidas, vel coactas; non enim potest esse delectus ubi de numero laboratur. Præterea gratiam amittit quidquid aut immodicum est, aut intempestivum. Demum Parçmiæ usus plurimùm valet in familiaribus colloquiis, & in epistolis, quibus nonnihil venustatis, ac voluptatis affert; modò aptè, & suo loco adhibeantur; ut mox dicebamus. Quod si Parçmia minus apta videatur, mollienda erit; quemadmodum Fabius de verbis novatis, aut durius translatis fieri præcipit, & nos Parte Primâ. Recepit enim hoc genus & metaphoras quantumlibet duras, & novationes vocum licentiosas, & hyperbolas parum prudentes. In hunc autem ferè modum præmolliri poterit. *Juxta proverbium; ut ajunt;*

quod

quod dicitur; quod dici solet; ut dicimus provebio; ut fert adagium; ut est in veteri proverbio; juxta vulgo tritum sermonem; quemadmodum vulgo dici consuevit; adagio dictum est; quod proverbio fuit; verè hoc dicunt &c.

Contra huc usq; præscriptas leges festivum quippè, jucundum, & ad hilaritatem compositum extat Poëma Italicum proverbiis compaginatum cui titulus *Il Malmantile racquistato*: Laurentii Lippi Pictoris Florentini sub ficto nomine Perlonis Zipoli, quod Paulus Minucci notis eruditissimis illustravit, sub simulato pariter nomine Pucci Lamoni.

VIII. Claudam igitur hoc de Paręmiâ institutum caput; si tamen priùs illud admonuero, Adagium per Ironiam, ad contrarium sensum deflecti quandoque cum venustate posse; ut si de mendacissimo quopiam dicas: *Audi de Tripode dictum!* Potest item inverti hoc pacto: *Contra trîtum Græcorum Proverbium, expectatis carbonibus, thesaurum reperi.* Et: *Commutavimus non aurea æreis, sed ærea aureis.* Possumus tandem quocumque modo pro libito variare, aut mutilum proponere; prout ad rem nostram facit; sed judicio opus est; quod enim Quintilianus scripsit de risu, nihil affectari periculosiùs; idem prorsus de Prouerbio dicendum: & in hoc enim, quod evenire solet in musicis, nisi summum præstiteris artificium, ridiculus fies; & cùm laudem excitasse credideris; irrisiones captasse comperies.

Et hæc de Proverbiis dicta sufficiant; quæ quidem ex parte abreviavimus ab

 Erasmo,

Erasmo, non ita tamen, ut non perutilia prçcepta, aliaque scitu digna hinc inde per nos interposuerimus.

ÆNOS, GRIPHUS, SIVE ÆNIGMA, TERTIA ALLEGORIAE SPECIES.

cap. IV.

Obscuris Ænos tecta est sententia verbis;
Qui simul & Griphus Græcis, Ænigmaq; dictus.

I. AEnos αἶνος interdum pro Paroemiâ, ut apud Theocritum in Idil. Theonic. interdum pro Fabulâ, ut in Apostolii Joniâ, & apud Ammonium, accipi olim consuevit: propriè tamen, meliorumque judicio idem cum Gripho, & Ænigmate est; sermonemque implicitum significat, obscuram rationem, obscurè dictum, & involucrũ. Ænum ab exhilarando dictum censet idem Ammonius, παρὰ τὸ ἰαίνω, quoniã plurimùm lætemur hujus generis narratione. Griphis γρίφοις nomen inditũ à piscatorum retibus. Ænigma αἴνιγμα dicitur ab αἰνίττομαι obscurè loquor. Scirpos etiam appellarunt Latini Ænigmata, ut monstrat Gellius his verbis l. 12. c. 6. *Quæ Græci Ænigmata, Latini Scirpos appellaverunt; tales etiam Græcis itidem Griphi vocitantur.* Sunt qui pro *Scirpos*, reponant *Scrupos*, aut *Sirpos*. Crinitus, qui Rhodiginum, & Alciatum in suam pertraxit sententiam, autumat pro *Scirpos*, vel *Sirpos* legendum *Scrupos*. Vossius *Scrupum* pro Ænigmate nullo pacto dici posse contendit, sed *Scirpum* aut *Sirpum*, innixus Mosellano, vetustoque Ennii Proverbio *nodum*

dum in Scirpo quærere. Porrò *Scirpus* aut *Sirpus* à viminco piſcatorum vaſe, quod naſſam dicunt, vocem trahit. Convivalem quæſtionem appellarunt itidem Ænigma, quoniam, teſte Plutarcho, Jul. Polluce, Athenæo, aliiſque, à Regibus in Conviviis proponi ſolerent, propoſitâ ſolventibus pro premio carnis portione. non ſolventibus verò pro pœnâ murię poculo, ideſt aquæ ſalſæ, quem haurire ſine reſpiratione cogebantur; idque alienâ manu transfuſum, manibuſque poſt terga cancellatis; ut conjicio ex his Antiphanes verſibus: *Eſt opus manus poſt terga cùm*
Contraxeris, bibiſſe flatibus ſine.
Hunc itidem morem non obſcurè Clearchus innuit, ubi apud Athen. l. 10. c. 17. ſic Griphum definivit. *Griphus eſt ludicrum problema, ſeu jocoſa quæſtio, qua jubentur convivæ mentis acie perſcrutari, & invenire ſenſum rei propoſitæ, honoris, aut mulctæ gratia*. Ob id autem frequentari cœpit hoc problematum genus; quod, ut cenſet D. Ambroſius, cùm in conviviis homines interdum bene poti dicaciùs loqui ſolerent, & intemperantiùs alios proſcindere, quæ res in jurgia ſæpe ſæpius, & rixas erumpebat; id ut averterent graves viri, Ænigmata proponere inſtituere; colloquiis periculoſis omiſſis, & animo converſo ad rei explicationem, & ſenſum. Griphum ab Ænigmate quidam ſecernunt; quos inter Pollux à Scaligero allatus; voluntque ut Ænigmatis materia ſint joci, ac ſales; Griphi verò res ſeriæ, & quæ ſtudium requirunt. Cælius quoque diſtinxit hæc

proferens: *Sympotica fuerunt Ænigma, & Griphus. Illud lusum habebat; Griphus verò etiam studium, & curam.* Alii demum Ænigma dixere cùm de re fieret sermo; Griphum ubi de voce, ac nomine quopiam. Sed hæc nedum controversiam promerentur; & nos certè indiscriminatim confundimus, atque ex hoc solùm Ænigmatis voce utemur, utpote cæteris magis receptâ.

II. Quod definitionem spectat, Fabius l. 8. c. 6. Allegoriam obscuriorem dixit Ænigma; ex eo fortassis, quod Tullius l. 2. ad Atticum scribat: *Si erunt plura ad te scribenda; allegorias obscurabo.* Eodem pacto definit Augustinus l. 15. de Trinit. c. 9. Et in Psal. 48. *Ænigma est obscura parabola, quæ difficilè intelligitur.* D. Hieron. Commentar. in Prov. l. 1. c. 1. *Ænigma est quæstio obscura, quæ difficilè intelligitur nisi aperiatur.* Ven. Beda de Tropis Sac. Scrip. *Ænigma est obscura sententia per ocultam similitudinem rerum.* Clariùs tamen Scaliger l. 3. c. 84. *Ænigma est oratio obscura rem notam, quam significat, ambagibus tegens.* Tulisse punctum quidam rentur Caramuelem, ubi in Logicâ Vocali art. 24. sic aut definivit, aut descripsit Ænigma: *Est obscura quædam, sed exacta descriptio, quæ proprietates, & accidentia descriptæ rei enumerat; quorum singula seorsim aliis competere possunt, & solent; omnia simul non possunt.* Convenit quidem nonnihil in obscuritate cum allegoriæ alterâ specie, Parœmiâ; sicut etiam in re, quam significat, quæ nota esse debet; non habet tamen, ut illa, de-

essen-

essentiâ Laconismum. Quidam ab Ænigmatis proscribunt Samsonis illud Judic. c.13. *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo*; quæ de Leone intelliguntur per ipsum occiso; in cujus ore postmodo mellificantes apes reperit. Hujus verò proscriptionis causam faciunt, quod de re minùs notâ sit, Philistæis ipsis. Idipsum sentiunt de Piscatorum responso illo Homero, ut credit Herodotus, facto, qui in Insulâ pediculos à se excusserant. interroganti enim *quotnam cepissent*? responderunt obliquè: *Eos, quos cæpimus, non habemus: habemus verò quos nondum cæpimus*. Ille de piscibus sciscitabatur; hi de pediculis dedere responsum; quod sanè factum notum, apertumque esse non poterat. Ænigma perdifficile, ac scitum, Sphingem monstrum illud, apud Thebas prætereuntibus proposuisse scribitur, refertùrque à Myrleano Asclepiade ab Athen. cit. hoc pacto:

Est bipes, & quadrupes in terris, solaq; vox huic,
Atque tripes. mutat vocem solùm omnia campis
Inter quæ serpunt, quæ cœlo, & fluctibus errant.
Ast ubi contendit pedibus jam pluribus, illi
Deficiunt vires, & lentis robora nervis.

Alii sic retulere: *Quodnam animal manè quadrupes, meridie bipes, vespere tripes esset*. Ænigmatis nodum Oedipus ita dissolvit, ut hominem esse diceret, qui in infantiâ manibus, ac pedibus repens veriùs quàm incedens quadrupes est. Factus vir, ut qui nullo alio, quàm pedum adminiculo nititur, bipes. ingravescentibus autem annis, assumpto Scipione, tripes.

III. Porrò Ænigma vel in *verbo*, vel in *sententia* consistit. Illud in *verbo* multipliciter absolvitur; ut apprimè notat ex nostris Jo: Chrysostomus à S. Jo: Baptistâ Græcæ, ac Làtinæ professor eloquentię, In suo Manuscripto, quod mihi amicè communicavit; nempe in expositione 1. *Literarum*, 2. *Syllabarum*, 3. *Dictionis.* Clearchus ab Athenæo relatus Ænigmatum species omnes septem fecit; quæ quidem magnâ ex parte cùm nostris congruunt. Verùm ne tenebras hîc pro luce inducamus, missas facere optimum fuerit, clariori methodo jam donati.

IV. Expositio itaque Literarum fit 1. *Explicando*. 2. *Auferendo*. 3. *Addendo* voci literas *initiales*, *mediar*, aut *finales*.

1. Ex initiali explicandâ literâ habetur oraculum Julii Cæsaris, cujus dictionis elementa Gręca prima sunt I quod denarii numeri nota est, K quod vicenarii. Carmina latinè sic sonant:

Primus erit Regum, cujus capitalis habebit
Litera bis decies; poterit qui plurima bello,
Et numeri formam primam denarii habebit.

Huic affine est aliud de Augusto, cujus prima litera est A.

Proximus hunc Princeps sequitur, quem litera signat
Prima elementorum.

Plena sunt similibus involucris Sybillina oracula, dum Imperatores prædicant. Hunc etiam primum Ænigmatis fontem agnovit mox laudatus Clearchus ubi ait: *In litera quidem* (habetur Ænigma) *ut cùm dicimus ab* A *nomen esse piscis, aut plantæ.*

Ex

2. Ex detractione literæ initio vocis est illud, quo quidam amico militi ensem mittit cum disticho

Quod tibi vincendos toties mihi scripseris hostes;
Unum mitto tibi, reseces modo millia Mensem.

Ablatâ siquidem M, apud Romanos millenarii numeri notâ, mittit *ensem*. Et illud de navi:

Res est, quæ dempto capite volat.

ex voce *navis* caput amputa, restat *avis*. Ex detractione literæ in medio dictionis est illud scomma, quo superbiens quidam perstringitur:

Tu magnus Paulus solo es, tu musica, virtusq;
Unica si medio litera dempta perit.

Detractis quippe mediis literis, in vituperationem laus cadet hoc modo:

Tu magus, palus solo es, tu musca, virusque.

Ex detractione partim in fine, partim initio procedit Distichon in sagam vetulam:

Mensa tibi nulla est sine cauda: tu quoque sagax,
Atque ferax pariter, sed sine fronte manus

Dicitur *Manus* sine fronte, hoc est *anus*; demptis elementis à vocibus *mensa, sagax, ferax*, anum *dementem, sagam*, ac *feram* signat.

3. Ex additione lepidum est illud Comici fortunam suam ridentis, & se mendicum ænigmaticè pronunciantis:

Sum ego una litera plusquam Medicus.

Possunt etiam formari ænigmata in eadem dictione multipliciter addendo, vel detrahendo literas, ut illud de *Ala*.

Res volitat. P junge fodit: M jungito mandit

Pri-

Primam deme, canit: ultima sola gemit.

Si enim huic voci *Ala*, addas P, fiet *Pala* si M *Mala*. i. gena: si detrahas primum elementum, remanet La nota musicalis. Sola ultima demum A, est aspiratio gementis. Ex hoc fonte procedit etiam aliud consimile distichon:

Integra dat pastum; truncato vertice, mella
Fundit, si collum denique tollis, abit.

Fundatur in hac dictione *Dapes*. Integra pascit: ablato D fit *Apes*: demptâ priori syllaba, restat *Pes*. Ad hoc artificii genus etiam illud spectat de hac dictione *muscatum*:

Sume caput, curro: ventrem conjunge, volabo:
Adde pedes, redolet: sed sine ventre bibes.

Prima syllaba est *mus*, curret. Si addatur media erit *musca*, volabit. Si ultimâ *muscatum*, redolebit. Si media amputetur, *mustum*, potabitur. Et hunc adde de *musica*:

Mus, musa, musca, mica, sica.

Musica dulce canit totum; sed ventre reciso
Musca stridet; simul & musa perenne viget.
Mus rodit solido capite; hoc sine sica trucidat:
Auferet hæc homini sæpius illa caput.
Usus dimidium si tollitur, inde quod extat
In reliquo remanet corpore mica salis.

V. Fit etiam ænigma attingendo, vel circumscribendo literas vocem componentes: ut apparet in hoc decantatissimo de hac voce *Vale*.

Mitto tibi frontem Veneris (v) *ventremque Dianæ* (a)
Anteriora lupi (l) *posteriora lanæ* (e)

Ex sequenti itidem de hac dictione *Cor*, quod à Deo expeti significatur.

Dimi-

Dimidium sphcræ (c) *spheram* (o) *cum principe Romæ* (r)
Postulat à nobis summi regnator Olympi.

Huc spectat & illud Junii de SS. Nomine JESU, & nostri Jo: Chrysostomi suprà laudati, de SS. Nomine MARIÆ.

Dicito quale puies nomen, quod recta columna
Inchoas (I) *inde tridens fuscina nectit idem.* (E)
Flexus utrinque uncus secat, (S) *hinc bivii nota claudit,* (V)
Inde uncus medio qui stetit ante loco. (S)

Dic mihi quod nomen credas, cui mille dedere
Principium, (M) *proprium cui caput addit Amor.* (A)
Hinc Romæ sequitur Princeps, (R) *hinc recta columna,* (I)
Cui caput apponit denique rursus Amor. (A)

His similia sunt nonnulla ab Athenæo relata lib. 10. c. 17. in quibus per circuitionem Thesei exprimitur nomen. Placet hic adnectere. Primum hoc Euripidis est in Theseo.

Cum literarum non peritus ipse sim;
Dicam figuras, signaque evidentia.
Est circulus torno velut factus bene
Signumque habens in ventre, quod clarè patet (Θ)
Binas secunda forma lineas tenet:
Dispescit has medio incidens mox altera (H)
Cincinnus inde tortus ipsa tertia. (Σ)
Subit figura quarta recta linea
Tres incidentes dividunt hanc lineæ (E)
Quintam minus promptum fit ipsam dicere.
Sunt differentes lineæ inter se duæ

Quæ

Quæ conveniunt omnes simul in unam basim (Y)
Extrema differt nil figura tertia (Σ)

Secundum est Agathonis Tragici in Telepho itidem de Thesei nomine.

Est circulus pictus prior mesomphalus,
Duæ jugatæ quem sequuntur lineæ.
Arcus Scytharum uti figura tertia est.
Obliquus adjacet tridens quarto loco.
Junguntur inde binæ in una linea
Extrema forma est hinc suis quæ tertia.

Theodectes demum Phaselites rusticum quendam inducens literarum imperitum, idipsum nomen sic depinxit.

Ocellus est figura prima in circulo;
Binæque sunt hinc lineæ pares simul,
Transuersa quas mox incidens ligat altera.
Cincinnus ut contortus est hinc tertia:
Obliquus apparebat hinc velut tridens:
Tum virgulæ nascuntur ex quinta duæ,
Currunt in unam quæ basim ambæ simul.
At sexta, sicuti prius, cincinnus est.

VI. Formantur denique ænigmata literalia per Achrostichidem; quando nempe ita disponuntur literæ initiales, mediæ, aut finales carminum, ut simul connexæ alicujus rei nomen exhibeant.

1. Initiales in sequenti exemplo, modò connectantur, ænigma solvunt. Resultat enim hæc dictio *Manus*.

M e genitrix junctam peperit cum fratre sororem.
A ltera nata simul soror est, simul edita partu.
N on vivo si frater obit, vita unica utrique est.
V ivit at ipse tamen, quamvis ego mortua desim.

Sin-

Singula prima simul confer; sic nomen habebit.

Hac arte lusit Plautus aliquot argumenta Comœdiarum suarum; quæ primis literis Fabulæ nomen exprimunt; qualia sunt argumenta *Amphitruonis, Cassinæ, Aululariæ, Epici*. Extant quoque celeberrima sybillina Oracula de Christo Jesu simili pacto elaborata; quæ legere est apud Eusebium in vitâ Constantini, Augustinum l. 18. de Civ. Dei c. 15. aliosque innumeros. Leguntur itidem D. Jo: Damasceni Jambi Pentastichi, de Christi Domini Nativitate, de Epiphaniâ, de Pentecoste, quorum priores literæ collectim sumptæ duo rursum disticha efformant. Si quis amet legere, consulat Corpus Poëtarum Græcorum. Hic sanè longum esset afferre. Plurima etiam hujus generis exhibet P. Laurentius à S. Xisto ex nostris.

Unicum subjungam ex Epigrammatis Hispanorum de B. Theresiâ mortem cupiente:

Teresam clypeo Dæmon munitus, & ense
Evastare ferox vi, insidiisque cupit.
Respuit haud pugnam; non effera bella Teresa
Extimet; at clamat: palma erit ense mori.
Sævus Arabs pacto cum Dæmone fœdere Christum
Armis ætheria trudere sede cupit.
Christe dato auxilium: imbelli dato robora, & ardens
Votum fac semper me urere Martyrii.
Pugnantes sicque ipsa duos, Arabemque Stygemque
Impigra sustineam. quid, nisi tela, ferunt?

Tela

Tela ferunt? patiar. moriendi sunt mihi vota
Numine pro celso; sunt stabilesque preces.
En tibi, Christus ait, voti mercede, precumq;
Cælum, etsi cædis non patiare vices.
Ense flagrat Teresa mori: Christum cupit ardens,
Martyriique ferunt vota, precesque vicem.

Minùs verò hîc laudandus est Vates, qui rectam sprevit orthographiam in Theresiç nomine; quod maximè cavendum est; ne ubi laudem quærimus, risum inveniamus, ac spretum.

2. Achrostichidos aliud est genus, cùm idem nomen exprimitur, aut diversum, in principio, & fine carminis. Tale est vulgatum illud S. Damasi P. O. M. de sanctiss. JESUS nomine:

I n rebus tantis trina conjunctio Mund I
E rigit humanum sensum laudare vetust E
S ola salus nobis, & Mundi summa potesta S
V enit peccati nodum dissolvere fruct V
S umma salus cunctis vivit per sæcula terri S.

Tale etiam hoc

J esu Parentis optim I
E t Virginis castissima E
S oboles, tege, ac tuere no S.
U t cernis à quovis fit U
S epimur hinc & hinc mali S

Nomen exprimit diversum initio & fine exemplum hoc in Ludovicam Saracenam Virginem hebraîcè, græcè, ac latinè doctam:

Limpidus exhaustis cum fontibus ante Lemanu S
Undisona Rodani destituetur aqu A
Dulce priùs tristis mulsum dicetur amaro R

Orta

Orta nec extabit vere nitente ros A
Verbaque (sint utinam nullo sine pondere) quæ nun C
Ipsa legis, vera sunt caritura fid E,
Corde tuum nostro quàm possit cadere Nome N,
Aut tua de facie migret Imago me A.

3. Alterum Achrostichidos specimen est, quando initio, medio, & fine carminis nomen quodpiam exprimitur, ut hic vides:

I nter cuncta micans I gniti sydera cœl I
E xpellit tenebras E toto Phœbus ut orb E
S ic cæcas renovan S Jesus, caliginis umbra S
V ivificansque simul V ero præcordia mot U
S olem Justitiæ S e se probat esse Beati S.

Exemplum, in quo initiales, mediæ, & finales literæ diuersum effingunt nomen, scilicet *Mater Dei in terris nascitur*, exhibuimus in Poëticis.

4. Verùm quis singulas Achrostichidôn complectatur formas? Sane ingenia adeo in hoc sibi indulsere, ut innumeras ferè invexerint. Interdum enim quælibet versûs dictio initiali suâ Nomen exprimit. v. g.

Scripturæ A d N ormam C um T anta V olumina S cribam
TH eologos O mnes M etior, A tque S ophos.

Hinc si singulas vocum initiales literas colliges, resultabit *Sanctus Thomas*. Interdum loco literarum, integras dictiones in versuum initiis ponunt, vel singulis literis nominis alicujus, singula junguntur epitheta; donec versus compleatur. Exempla longũ esset hîc adducere; hæc carptim attingimus tantùm, utpotè instituto

no-

nostro nō absona. Extant lusus id genus, Abrahami Bemmii Pentachrostion Regi Christianissimo Ludovico XIII. & Andreę Frusii in pessimum Martin. Lutherum. Quandoque ita efformant Poëma, ut unus versus alterum nedum literâ excedat, imo prçter nomen quod initio, medio, & fine resultat directè, alia erunt transversim nomina, aut etiam carmina. Hac arte elaboratum habes operosissimum illud Publii Optatiani Porphyrii quod si legas indirectum habebis initio, medio, & fine hunc versum.

Sancte tui vatis Cæsar miserere serenus.

Si accipias singulam quamque literam quinti versus in qualibet area, & septem sequentium resultat Hexametrum

Aurea sic mundo disponis sæcula toto.

Est aliud ejusdem Optatiani ad Constantinum, cujus omnium versuum tricenæ quinæ sunt literæ, & per omnes partes laterum. Videtur, & hic expressum sanctissimum nomen, CHRISTUS.

A primâ literâ primi versûs ad novissimam ultimi per obliquum descendit versus Hexameter

Alme salutari nunc hæc tibi pagina signo.

Rursùs à primâ literâ ultimi versûs ad ultimam primi decussatim seu per obliquum ascendendo, legitur hic Pentameter

Scripta micas resonans nominibus Domini

Qui duo versus figuram X exprimunt. Rursus à 18. literâ octavi versùs per mediam literam X & viginti sequentium virgula

gula descendit, quæ habet inflexuram ad modum Græci P, quæ virgula hanc sententiam oratione solutâ complectitur:

Sit victoria comes Aug. & Natis ejus.

Vide laborem, quod citiùs admirere, quam imitere. Sunt etiam qui pro libito Achrosticis figurent Columnas, Cruces, Rosas, Fontes, Labyrinthos, Aras, & id genus sexcenta. Extant ex nostris Jo: Petri à S. Nicolao pro utilitate laboris *Labyrinthus*, & *Anuli* Infœcundorum in Academiâ Theate expositi. Dominici à S. Francisco in Caramuelem *Linteus*, qui Operum fronti Lugduni impressus est. Francisci Mariæ à S. Joseph, in Geographicâ Italiæ Academiâ, de Vesevo monte, *Rosa*; de Labyrintho Clusiaco *Labyrinthus*. Stephani à S. Paulo Venetiæ in formam *alarum*. Nicolai à Nomine Mariæ, *Rosa* pro Virgine Annunciatâ; pro sacrâ Syndone *Linteus*; ac pro Virgine Lauretanâ *Labyrinthus*. Joannis Joseph à S. Francisco pro I. C. Cruci affixi imagine Sirolianâ, *Fons*: pro columnâ ex agro Romano Myram à S. Nicolao transmissâ, *Columna*: pro Insulâ Militensi *Crux Melitensis*; & *Ensis* pro Bononiâ. Taliâ hîc non inserimus quamvis jucunda, & ad imitationem valdè conducibilia, quoniam libelli hujus forma non capit. Uberrimam talium artificiorum segetem habetis in Metametricâ doctissimi Præsulis Jo: Caramuelis, quam consulite. Neque hìc admonere prætermittam, ex prædictis lusibus apud Homerum ipsum nonnullos haberi, quos retu-

retulit, observavitque Athenæus in Dipnosoph.

VII. Ænigmata syllabarum ejusdem omnino sunt artificii, ac literarum; hoc tantùm discrimine, quod in istis ex collectione ultimorum elementorum resultat nomen; in illis ex collectione integrarum syllabarum. Exemplum adduxisse sufficiat unicum:

URaniæ cælo nequeat offundere nuBEM;
HEroi nequeat tanto se ostendere duRAM
FAtorum Dea magna, potens, quæque omnia vinCIT.
MAjestas velit huic faciem præbere beniGNAM;
SUMmittatq; Viro fasces, cui sessio priMA,
VIRgaque prima data est, à quo responsa SenaTUS
SUMpturus, meliora negat ab Apolline proMI
VIribus huic totis faveat, stabilisque videRI

Syllabas priores carminum ubi junxeris extremis, hæc resultabunt. *Urbem Heram facit magnam summa virtus summi viri &c.*

VIII. Veniunt Ænigmata Dictionis, & sunt, vel cùm voces ordine retrogrado legendas damus; vel cùm eas ita sententiæ accomodamus, ut dempto, aut apposito commate diversũ omninò exhibeant sensum. Primi modi est illud de Urbe Româ, expressâ in dictione retrograda *Amor.*

Cunctis bella tuli; fœdavi sanguine mundum:
Voce tamen versa dat mibi nomen Amor.

Insigne est hoc Epig. D. Caroli Bossii de variis dictionibus è *Roma* deductis

Roma, amor, armo, maro, mora, ramo, orma, oram.

Orbis

Orbis ego princeps, armisq; togaque coruscans;
A bellante meum numine duco genus.
Sors mihi diversa est; vel stringo fœdere amantes;
Vel, rupto armatas fœdere, jungo manus.
Charior aut Musis heroas carmine laudo.
Aut fessis adsum sæpe vocata quies.
Grata avibus, quibus & sedem mea brachia pandunt:
Dein tacito certas indice monstro vias.
Et mihi dum totus peragranti subditur orbis;
Hospitio gaudent cuncta animata meo.

Secundi modi, exemplum esse possunt, tum tritum illud *Ibis redibis non morieris in bello*; tum alterum hoc Thesauri de quodam milite: *Hic jacet Miles strenuus parùm jactabundus multùm vigil nunquam fugax semper diligens in mensa parcus in acie metuendus amicis amicus vitiis carens virtute summa Dei providentia mortuum pro meritis remuneret.* Vides, quod si comma apponas post *non*, affirmatio vergit in negationem *redibis non*. Itidem si præponas ante *strenuus*, laus in vituperationem declinat. v. g. *Hic jacet Miles, strenuus, parum, jactabundus multum &c.*

IX. Veniendum modò est ad alterum Ænigmatum genus in Sententiâ positum: quod sanè magis lepidum, atque ingeniosum dicendum est; fundaturque in re ipsâ variis ambagibus circumscriptâ. Hoc genus intendit Aristoteles, ubi in Art. Poët. c. 21. ait; Formam Ænigmatis esse orationem, quæ ex se minimè congruentibus constat. Averroës verò, esse orationem comprehendentem sententias; quarum

con-

connexio impossibilis videtur; eòque difficile redigitur ad aliquem certum sensum naturæ consentaneum. Huic tamen asserto non omnino subscribimus; neque enim hoc Ænigmati perpetuum est: ut ex seq. Virgilii locis colligere liquidò est. Ecl. 3. v. 104.

Dic quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat Cœli spatium, non amplius, ulnas.

quod de puteo aliqui interpretantur. Et aliud. ib. v. 106.

Dic quibus in terris inscripti nomina Regum
Nascantur flores.

quod de Hyacintho flore intelligunt ferè omnes; licèt Servius opponat, talem florem ubique nasci. Ausonius verò

Aut adsit interpres tuus,
Ænigmatum qui cognitor
Fuit meorum; cùm tibi
Cadmi nigellas filias
Mellonis albam paginam,
Notasque furvæ sepiæ
Cnidosque nodos prodidit:
Nunc adsit, & certè modò
Præsul creatus literis
Enucleabit protinus
Quod militantes scribimus.

Hoc in exemplo per *Cadmi filias* intellexit literas, quos Cadmus è Phœniciâ in Græciam invexit. *Mello* idem est ac Nilus, ubi papyrus nascitur. Atramentum ex *furvo sepiæ* succo conficiebatur; & inter scriptorios calamos *Cnidii* erant præstantiores. Nonne in his est sola circumlocutio? *Ænigma itaque facies* (ut idem Aristot. loco cit. subjungit) *si translationes congeras:* quod

quod planè apparet & in hoc exemplo: *Vidi carnem humanam in campo ligneo ossibus ludentem*. Ubi *caro humana* pro manu, *campus ligneus* pro alveolo, *ossa* pro cubis, seu tesseris osseis materiam ponunt pro re confectâ.

X. Optimum autem erit Ænigma, quod metaphoras contineat ab opposito: ut observat Philosophus; ac si tres in se virtutes contineat, quas Emmanuel Thesaurus doctus ipsius elucidator assignat; nempe

Unitatem in diversitate.
Claritatem in obscuritate.
Deceptionem in expectatione.

Unitas quidem esse debet. quamvis enim diversa translationum mixtio quasi chymæram componat; omnia tamen vel sic disparata in unum propositum debent collimare: quemadmodum ex adducendis infrà exemplis constabit.

Obscuritas, ea debet esse, ut cùm tibi solvendum Ænigma propositum sit, adeò implexum, ac intellectu difficile videatur, ut enodationem facilè desperes; ubi verò inveneris rem; statim vel ipse fatearis, omnia, quæ dicta sunt, fuisse propria.

Deceptio est, quæ non modo obtegit verum; sed omne aliud excogitandum inducit, præter quod est. Hæc quidem mirum in modum intellectum delectat, quando seipsum deprehendit deceptum; plausumque excitat in auctorem, ubi ipsemet animus dicit: Ita quidem est.

Porrò Ænigma talibus virtutibus donatum, componit vel

Affirmationem cum negatione.
Affirmationem cum affirmatione.
Negationem cum affirmatione.
Negationem cum negatione.

1. Affirmatio cum negatione componit illud Thesauri de Echo, quod nos hîc latinè reponimus: *Anima inanimis est, muta simul & eloquens quæ fatur elinguis. Homo non homo, sine flatu vocalis. Sine figura imago, in aëre voces absque colore depingens. Licet illam genueris, filia tibi non est. Ipsam non vides & audis, ipsa te non audit, tamen tibi respondet. Est nihilum loquax, loqui nescius cùm loquatur, ignorans tamen quid protulerit. Græciæ, aut Latio non studuit, Græcè tamen fatur, atque Latinè &c.* Tale est etiam illud Clearchi de Eunucho relatum ab Athen. l.10. c.17. *Vir non vir, videns non videns, avem non avem, sedentem non sedentem, super arbore non arbore, lapide non lapide, percussit non percussit.* Numeris illud sic quidam ligavit.

Vir non vir, ut fertur vetusto Ænigmate,
Avem sedentem non avem, lignum super
Superque non lignum, videns & non videns
Ferit, lapillo non lapillo, & non ferit.

Hoc est (inquit Ludovicus Vives in l.8. c.25. D. August. de Civ. Dei) *Eunuchus luscus percussit pumice vespertilionem super sambuco.* Marsilius Ficinus in 5. Dial. Plat. de Rep. *avem non avem* interpretatur alam vespertilionis. Arcæus verò in Logicâ c.7. agens de nagationibus *percussit non percussit*, sic intelligit; ut ille pumice non vespertilionem, sed sambucum tetigerit, & ramus [illegible]us avem excusserit, & exciderit. Simi-

le

le huic ex parte videtur & illud de *Aceto*, quod ex vino conficitur.

Sublatum nihil est, nihil est extrinsecus auctum.

Quod fuerat non est; cœpit, quod non erat, esse;

Nec tamen invenit quidquid prius esse reliquit.

2. Affirmatio cum affirmatione elucet in hoc ejusdem Emmanuelis, itidem de Echo. *Aëris Nympha est; petra loquax, animatus scopulus, spiritus filia. Degit in sylvis, omniumque eloquitur linguam. Agrestis* Sybilla *in antris promens oracula. Adulatrix simul & spernens; si rideas, ridet; plorat ubi ploraveris; ubi cecineris, canit; modò vituperes, vituperabit laudabit cùm ipse laudaveris. Tandiu vivit, quamdiu loquaris: tuum spiritum spirat; lingua tua loquitur; tua vita vivit Unus vivit cum duo loquantur; Unus loquitur, sibique ipse respondet. A te quid aliud nec est. tecum discedet; tecum revertetur; tecum obibit &c:* Ex affirmationibus pariter conflatur illud de speculo ex Italo Vate; quod sic solutæ orationi donari posset. *Rem novi non vivam; quæ tamen ubi illi te obtuleris, vivet: ubi scripseris, & ipsam scribere, ubi cecineris, & ipsam canere credas.* Si *habeas in prospectu, nævos quoscumque tibi deteget:* Si *tergum indignabundus obvertas, ipsam tecum evanuisse comperies. Iterum convertas te, ipsam simul tecum conversam admiraberis.*

3. Negationem affirmationi conjunctam habemus in decantatissimâ illâ Bononiensi Inscriptione, tamdiù examinatâ, quam alii de Niobe interpretati sunt, alii de pluviâ, de Lunâ alii; quidam etiam de

lapide Philosophico. Noster Jo: Chrysostomus à S. Jo: Bapt. aliàs laudatus, de Prophano Amore putat intelligendam.

Ælia Lælia Crispis
Nec vir, nec mulier, nec Androgyna,
Sed *omnia.*
Nec puella, nec juvenis, nec anus,
Nec casta, nec meretrix, nec pudica,
Sed omnia.
Sublata nec fame, nec ferro, nec veneno,
Sed omnibus.
Nec cælo, nec aquis, nec terris,
Sed ubique jacet.
Lucius Agatho Crispus
Nec maritus, nec amator, nec necessarius,
Neque mœrens, neque gaudens, neque flens,
Hanc
Nec molem, nec pyramidem, nec sepulchrum
Sed omnia.
Scit, *& nescit cui posuerit.*
Hoc est sepulchrum intus cadaver non habens
Hoc est cadaver sepulchrum extra non habens,
Sed *cadaver idem est, & sepulchrum sibi.*

Porrò, qui de prophano Amore Inscriptionem interpretatus est, album proximiùs attigisse, hoc ipsum argumento est, quod apud Athen. Dipnosophistam 13. c 5. Alexis testetur, pictores, & qui statuas amoris effingunt, id imperitè facere; cùm probè non teneant quis ille sit.

Neque
Mas est Deus, neque rursus est is fœmina.
Nec est Deus, nec homo: nec est demens, neque
Prudens. Sed coagmentatus ex omnibus.
Una figura plurimas cùm proferat.
Audacia est illi virilis: est timor

Mulie-

Muliebris; ac stultum facit dementia:
Prudentis est ratio, feræ acrimonia:
Laborque adamantis; ambitio sed Dæmonis.
Vides hìc affinitatem dictionum, sententiarumque similitudinem cum præfatâ Inscriptione; quam quidem possem per partes expendere, ut clariùs eluceret consonam esse interpretationem nostram; sed esset parergon instituere.

4. Solis ex negationibus resultat illud Thesauri de Echo: *Homo non est neque bestia: loqui aut tacere nescit: nec verax, neque mendax est, sine lingua, & silentio: non clauditur, & tamen ex abitaculo exire non valet. Ipsam non vides; te ipsa non audit &c.* Huic respondet Symposii Ænigma de Gurgulione num. 24. quod ex solis negationibus constat.

Non bonus agricolis, non frugibus utilis hospes;
Non magnus forma, non recto nomine dictus;
Non gratus Cereri; non parvam sumo saginam.

Simile quoque est Scaligeri illud: *Non vir, non mulier &c.*

5. Ex oppositis mixtis est illud Italicum Petrarchæ cui initium. *Pace non trovo &c.* quod Hexametris versibus donavit Thesaurus, hoc pacto:

Nec mihi pax ulla est, ullus neque militat hostis.
Et spero, & trepido; gelidus me sauciat ardor:
Astra peto, defixus humi: nil denique stringens
Immensum cupidis cingo complexibus orbem.
Nec cohibet, nec laxat iter, qui carcere septum
Me tenet. Haud vinclis adigit, nec vincla resolvit.

Nec perimit, nec sanat Amor. Mihi perfidus annos
Demetit, atq; annis finem non destinat ullum.
Eloquor elinguis, lumen sine lumine cerno;
Mors placet, ac vitam rogito; ferus urgeo cæcis
Me me odiis, adamoque feram. Mihi sola voluptas
Est dolor, & mixto fundens suspiria risu:
En, inquam, pro te, qualis mihi vita relicta est.

In hanc quoque classem redigerem illud de prophano Amore:

Lex exlex: lux atra: via invia: serva potestas:
Irrequieta quies; & malefida fides:
Turpis honos; pietasque ferox; odiosa voluptas:
Pax discors; status mobilis: ægra salus.

Lusus ab hoc ipso fonte in amoribus fuere doctis quibusque viris. Quamplurima leges hujusmodi formæ artificia apud Emmanuelem hincinde in suis operibus sparsa. Ego quoque olim Inscriptionem de *atramento*, id genus elaboravi.

Niger Papirius, Meronis, & Gallæ filius, diu vixi, diutius vivam; quoniam gummis infectus, vitreum mare perosus, vitreum nitorem præmefero. Chartaginenses campos percurrens, quamquam Limax non sim; vestigia quacumque pergam relinquo. Apostolus non sum; attamen linguarum dono ditatus, nullum abhorrens omnium voluntati, voluptati, necessitati obsecutus. Licet quæcumque subsistant ex me; nihil mihi tribuens, fidelis aliorum opera asservo; neque Catholicus, neque Hæreticus, sed uterque, scitorum sententias, ac stultorum ineptias æquè teneo. Quamvis obscuris ortus natalibus: pro merito, Scriptores quosque tenebris meis illustro.

Placet

Placet hîc rursum apponere aliud Thesauri exemplum de Phœnice, in quo præter Ænigmaticè opposita, etiam concinnitas, & laconismus elucent. *Cerne fœcundissimam virginem Avem, sui genitricem, ac sobolem; altricem, & alumnam; sibiquetantùm similem, quæ vitalis interitus, lætissimique lethi cupiditate capta; delicias in funere, sepulchrum in deliciis, cunabula in sepulchro experitur. ubi redivivi cadaveris sui Præfica, & pronuba, odoratum thalamum in tumulo jucundis myrrhæ lacrymis perfusum parat, tum funereas à vivaci Sole mutuata faces; alarum flabro diventilans; sese parit, dum perit. Simul fœta, & adulta; prisca, & recens; eadem semper & diversa: alia & non alia, supremum sibi diem celebrat, & natalem. Eadem sibi Clotho, & Atropos, supremum vitæ flamen incidendo redorditur.*

XI. Alius, & quidem uberrimus Ænigmatum fons est ab æquivocatione. Hujusmodi creditur illud, quo Hegion Parasito Ducem exercitûs se jactanti, plura comextibilia vocibus Populorum sub titulo militiarum enumerat:

Multis & multis generibus opus est tibi
Militum: primo dum opu'st Pistoriensibus:
Opus Paniceis: opus Placentinis quoque.
Opus Turdetanis: opus Ficedulensibus
Jam maritimi omnes milites opus sunt tibi.

Carolus à S. Antonio Patavino ex nostris, Ænigmaticâ primâ Inscriptione calamum suum scriptorium descripsit ex hoc ipsomet fonte. Ego pariter ita quondam Annum loquentem induxi:

Cerne revertentis, Lector, miracula vitæ.

Sunt mihi bis seni nati, quos gigno, necoque
Et post undecimum rursus queo gignere primum
Triginta nati & natæ cuiuslibet omnes
Mactamus genitos, mactant genitiq; Parentes;
Inde renascendo generant, generantur iidem.

Brevius & fortasse comptius alterum hoc itidem de Anno Ænigma, à Græcis Latio donatum per L. Gyraldum.

Est unus genitor, cujus sunt pignora bis sex.
His quoque triginta natæ, sed dispare forma
Aspectu hinc niveæ, nigris sunt vultibus inde.
Sunt immortales omnes, moriuntur & omnes.

Habe alterum hoc meum de Vino.

Fratribus à multis violenta morte peremptis
Enascor, misere quos rustica clava tutudit:
Ac pes immundus tanto conamine fregit;
Vulneribus prorsus miserorum ut forma periret.
Vix ego natus adhuc cæco sub carcere claudor,
Ut reus excidii; quantumvis criminis expers.
Me furor exagitat. quid prodest? fortiùs arctant
Ne fugiam; donec fuerit maturior ætas.
Tunc sponte exsolvunt. Mox immemor ipse malorum
Mensis intersum, lætas & reddo catervas.
Quid verò? infelix momento perdor eodem.
Dant aliis malefacta mori, mihi dant benefacta.

Aliud.

In alvo pressus, vixi (quis credat?) in alvo:
Inque alvo tandem fata dedere mori.

Ex dictis exemplis observatu cuique facilè fuit, rebus inanimis animam tribui; eaque omnia, quæ viventium sunt propria.

XII. Aliquando in unicâ tantùm voce posita æquivocatio est; ut videre est in hoc nostri

nostri Caroli à S. Antonio Patav. ænig. 38. de Conspicillo:

A me (quis credat?) quamvis procul omnia nudo
Pupillis tamen auxilium prebetur egenis.

Æquivocatio est in *Pupillis*; hic enim intelligit de oculis artis egenis, ut queant videre. Huic affine est illud Symposii 92. De milite Podagrico:

Bellipotens olim sævis metuendus in armis
Quinque pedes habui; quod nunquam nemo negavit.
Nunc mihi vix duo sunt. inopem me copia fecit.

Ludit in ambiguo verbo quinque pedum, quod ad longitudinem corporis fortasse refert, & duum pedum, quos podagra debilitabat. Extat & quoddam de Cucurbitâ Chirurgorum apud Athenæum, habens æquivocationem in συναίμα, quod sanguinolentum, & consanguineum notat. Distichon habes in auctario ad Sympos.

XIII. Facetum est simul, & argutum Ænigmatum genus illud, quod clam habet in se ipso nomen rei per allegoriam circumvestitæ, & importatæ. Exemplum hoc sit de literâ L.

Eloquii sum pars non contemnenda loquenti;
Quin si me tollas non bene lingua sonat.
Ast in colloquii gemino cum robore præstem;
Sola prope occlusis mussita blasa labris.
Nec tamen invenies sine me laudabile dictum.
A me lex orta est; me sine trunca jacet.
Deficit, ut desum, Luna, & Sol deficit ipse;
Stellaque, si me adimas integra nulla manet.
Corpore sum gracili; rectamque imitante columnam;

 Sed

Sed litui in speciem curva reclino caput.
Me in Nilo invenies; nec tanto in flumine mergor.
Alta sed emineo plana elementa super.
Nec tibi sit mirum, si me inquirendo laboras:
A me principium nam labor omnis habet.
Et nondum me, cæce, vides? cognoscere si vis,
Aspice: me lampas lucida fronte gerit.

Vides quoties concinnè dictum elementum in Ænigmate ipso irrepat; atque ita, ut non facile veniatur in rei cognitionem, quamvis ipsamet toties ob oculos posita sit. Pari artificio elaborata sunt disticha Caroli nostri laudati ex Epig. l. 4. utraque de litera A.

Sum Princeps; tamen heu quoties suspiria duco!
Grandia sæpè etiam pectora cura premit.

A enim communiter elementorum princeps dicitur. Idipsum autem exprimimus quoties suspiria elicimus.

A me principium: quid sim, tu cernis: ego hic sum
Hic ego sum: cernis, sis nisi lucis inops.

Nonne hic litera A in ipso compositionis exordio? Plura exempla id genus occurrent legenti apud Scriptores; quare hic majorem copiam non producimus. Admonere tamen debeo, dari etiam Ænigma posse sine ullâ verborum deflexione, aut tergiversatione; sed hæc utpotè nullius artificii, modicæ etiam, aut nullius prorsus sunt venustatis. Porrò Ænigmaticæ locutionis usus potissimum habet locum in Poëticis; interdum tamen etiam in orationibus, & historiis. Cicero pro Fonte-

jo,

jo, ne inhonestis verbis auditorum aures offenderet, ipsius vituperaturus accusatorem, tali ænigmaticâ usus est æquivocatione: *Matrem habuit, quæ dum vixit ludum aperuit; postquam mortua est magistros habuit*. Ludus enim scholam æquè, ac lenarum domum significat; Magistri nomen, Præceptores, atque mortuorum licitatores. Valerius quoque Max. l. 1. c. 8. simili usus artificio; quod sane tunc maximè laudabile est, cùm turpe aliquid exprimere necesse sit. Præterea Ænigmatum usus magis illis, qui ad privatos homines, quam eis, qui ad multos scribunt conceditur; ut patet ex eodem Tullio ad Atticum; ubi interdum sententias verborum involucris involvit.

Extant plurium Cl. Virorum Ænigmata tum Græca tum Latina. Ex Latinis magno in pretio habentur centum Symposii Heroico carmine ligata, atque Josephi Castalionis Anconitani Scholiis illustrata, & à Jacobo Castalione filio Etruscis versibus perbellè donata, ut notat Carolus toties citatus in epist. ad Marcellum fratrem, suum itidem de Ænigmatibus libellum mittens. Ex Italis excelluit Malatesta Florentinus: sed horum plurima indigna prorsus quæ legantur ob obscænitatem. Extant & alia Latinè Scaligeri, Andelini Angli, Adriani Junii, Joannis Lorichii &c. Multa Greca habes sparsa apud Athenæum, qui l. 10. c. 17. Ænigmatum auctores facit Aristonomum, & Cleomenem.

De Periphrasi, et hyperbato. *Cap. V.*

Quod breve dixisses verbosa Periphrasis auget:
Perturbant fixas sermonis Hyperbata sedes.

I. PEriphrasis περίφρασις, Latinè *Circuitus*, ut Fabius; *Circuitio*, ut Auctor ad Herennium, dicitur. Est autem ex definitione Sosipatri 4. Gram. *oratio longa cum cultu*; seu ut malunt alii, *oratio rem simplicem assumptam circumscribens elocutione*; quod fit quando pluribus verbis id explicatur, quod uno, aut paucioribus dici poterat; ut *eversor Carthaginis* pro *Scipione* dicatur: *Trojani belli Scriptor* pro *Homero*: *Mantuanus Vates* pro *Virgilio*: *Venusinu Poëta* pro *Horario*: *Peripateticæ Scholæ princeps* pro *Aristotele*: *Stoicæ familiæ pater* pro *Zenone*: *voluptatis assertor* pro *Epicuro &c.* Tribus autem præcipuè modis fit Periphrasis

Etymologia, Notatione, Finitione.

Etymologiâ, cùm nominis rationem explicamus; ut: siquis *heredipetam* dicat, *hæreditates alienas appetentem*: aut pro *parasito*, *hominem cibo, ventrique deditum*: aut pro *Philosopho*, *hominem sapientiæ studiosum*: pro *Grammatico*, *qui literas doceat*: pro *locuplete*, *qui plurima loca possideat*: pro *pecunioso*, *qui magnam pecuniæ copiam possideat*: & his similia.

Notatione constabit, cùm notis quibusdam accidentium rem quampiam describimus; ut, siquis *iram* intelligens; *animi*, *aut*

aut bilis effervescentiam dicat, *quæ pallorem vultui, ardorem oculis, tremorem membris inducat.* Ejusdem generis est illud. *Qui digito scalpunt uno caput,* quo molles, & effœminati describuntur: Et pro Ciconia

Candida venit avis longis invisa colubris.

Definitione constabit; ut si quis *artem bene dicendi* pro *Rhetorica* dicat: Peculatorem, *virum, qui civitatis ærarium ærarium compilasset: Hominem tyrannum, qui vi leges, ac civium libertatem oppressisset.*

II. Duplici autem ex capite frequentari solet Periphrasis; ut docet Beda de Tropis; scilicet *aut ornandæ rei causa quæ pulchra est, aut vitandæ quæ turpis est.* Item Sosipater loco supra laudato. *Fit autem, ut aut brevitatem splendidè producat; aut ut fœditatem circuitu devitet.* Idem sentit Isidor cap. de Trop. 1. Orig. & communiter omnes duplicem hujus Tropi causam assignant; nempe necessitatem, atque Ornatum. Necessitate ipsam usurpamus quoties dictu deformia verbis operire debemus; ut habet Fabius l. 8. c. 6. Teneri autem nos ad modestam istam circumlocutionem, pluribus, atque ex probatis auctoribus ostendimus Prima Parte, ubi de Turpibus, & sordidis verbis sermo fuit. Quare his non immorabimur. Usurpavit Periphrasin necessitatis ergô Sallustius, ubi inquit: *Ad requisita naturæ.* Item D. Cyprianus de Circumcisione loquens: *Voluptatum seminarium, ac libidinum officinam.* Usus est quoque Virgilius, ubi ait

Optatos dedit amplexus, placidumque petivit
Conjugis infusus gremio per membra soporem.

Ne-

Necessitate itidem usurpabitur Periphrasis quoties rei nomen deerit, quo exprimatur. Ornatus verò gratiâ utuntur Circuitione potissimùm Poëtæ; rarius verò & pressius Oratores. Hinc Virg. Æn 12. quâ noctem signat:

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit; & dono Divum gratissima serpit.

Et altera.

Et jam prima novo spargebat lumine terras,
Thitoni croceum linquens aurora cubile.

Idem Georg. 4.

Atque equidem extremo ni jam sub fine laborum
Vela traham, & terris festinem avertere proram.

Horat. l. 1. Satyr. 10. de Lucilio.

In versu faciendo
Sæpe caput scaberet, vivos & roderet ungues.

Lucan. de Virg. ad Pisonem.

Ipse per Ausonias Æneia carmina gentes
Qui sonat, ingenti qui nomine pulsat olympum
Mœoniumque senem Romano provocat ore;
Forsitan illius nemoris latuisset in herba,
Quam canit; & sterili tantum cantasset avena
Ignotus populis, si Mecenate careret.

Videtis in hoc exemplo non modò Circuitionem, verùm & aliorum Troporum permixtionem. Elegantissima quoque est Virgiliana Periphrasis 3. Georg. fluvii glacie concreti:

Concrescunt subitæ currenti de flumine crustæ
Undaque jam tergo ferratos sustinet orbes,
Puppibus illa prius patulis, nunc hospita plaustris.

Hanc

Hanc imitati sunt Poëtæ Scholastici; ut Pontanus notavit, qui ex Scaligero filio collectanea sequentia subdit, quæ & nobis hic placet inserere, ut vos inde variæ imitationis specimen habeatis.

Pompejanus.

Qua ratis egit iter, vincto bove plaustra trahuntur,
Postquam tristis hiems frigore vinxit aquam.

Maximianus.

Sustinet unda rotam patulæ modo pervia puppi,
Et concreta gelu marmoris instar habet.

Basilius.

Unda rotam patitur, celerem modo passa carinam,
In glaciem solidam versus ut amnis abit.

Julianus.

Qua puppes ibant, adducunt plaustra juvenci,
Pigrior ut cano constitit unda gelu.

Nobilis itidem reputatur illa apud Horat. l. 1. od. 22. ubi sterilem, & incultam regionem expressit:

Pone me pigris ubi nulla campis
Arbor æstiva recreatur aura
Quod latus mundi, nebulæ, malusque
Juppiter urget.

In sacris literis etiam habemus Periphrases tum ob ornatum, tum ob necessitatem. Primæ exemplum erit illud Apostoli 2. Corinth. 5. à Beda pariter adductũ: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis*. Secundæ, est ejusd. ad Rom. 1.

III. Porrò acuti, cùm adhibetur suo loco,

loco, Periphrasis granditatem affert orationi; ut sentit Aristot. Alexander Sophist. Dionysius Long. & alii; ita si perperam profundatur in Perissologiæ, & Macrologiæ vitium vergit; seu in Pleonasmum & Asiatismum. Est autem Perissologia multorum verborum supervacua adjectio sine ullâ vi rerum, aut sententiæ; vel est cùm sensu abundat oratio sine ullo pondere, ut: *Ibant quò poterant: quò non poterant non ibant*. Sic Livius. *Marcellus retro, unde venerat, Nolam rediit*: Macrologia est nimis tracta, & prolixitate inanis oratio, atque etiam sine cultu. Exemplo sit illud Terentii:

Ad aures haud invito mihi sermo accessit tuus.

Et Liv. l. 8. *Legati, non impetrata pace, retro domum, unde venerant, abierunt*. Pleonasmus est cùm verbis supervacaneis orationis oneratur contextus, ut: *Ego meis oculis vidi*: hoc tamen & melioris affirmationis esse potest. Asiatismus est, ut sentit Fab. l. 10. 12. dicendi genus immodicum verbis, sed rebus inane; quale quibusdam in locis cernitur in Galeno. Verùm hæc longiùs prosequi non est pretium operæ. Advertendum tantummodo importantissimam esse circumlocutionem in timoris, iræ, aut alterius affectus expressione, in quâ concitata debet esse oratio. Nunc ad Hyperbaton descendamus.

IV. Hyperbaton ὑπέρβατον Latini *Transgressionem* dixere: fit autem juxta Auctorem ad Heren. l. 4. quoties verborum perturbatur ordo perversione, aut transjectione. Hujus species quinque recen-

censet Beda de Tropis: Carbon verò l. 1. de Elocut. Orat. ad septem usque pr ducit. De his omnibus brevissimè aliquid dicamus oportet.

1. Anastrophe ἀναστροφὴ prima adjudicatur, quæ etiam Metathesis μετάθησις Latinè *Perversio* dicitur. Hos autem habet modos. Primò mutat Præpositionem cum suo casu, ut: *Italiam contra; maria omnia circum; quem penès, quorum è numero &c.* Virg. Æn. l. 5.

Ædibus in mediis, nudoque sub ætheris axe
Transtra per, & remos.

Ordo enim postulabat ut diceretur *in mediis ædibus, sub axe, per transtra.*

Secundò mutando Adverbium *cum*. Cic. pro Cluent. *Semper magno cum metu dicere incipio*: pro *cum magno metu*. Item *mecum, secum, tecum, quocum &c.*

Tertiò mutando Conjunctionem. v. g. *illam ut diceres: enim non sinam*, & id genus.

Quartò mutando Relatiuvm, ut. *Mater quod suasit sua.*

Quintò ponendo dictionem inter adjectivum in accusativo positum, & substantivum in genitivo collocatum, ut: *Paulum da mihi operæ.*

2. Parenthesis παρένθεσις seu *Interpretatio*; de quâ fusiùs egimus in Orthographicis; fitque cum sententiam ita interponimus, ut eâ sublatâ, adhuc sermo perfectus sit. Virg. Æn. l. 4.

At regina dolos (quis fallere possit amantem)
Præsensit.

Quod fit interdum longiusculo interjectu, ut Virg. lib. 2.

Et

Et magis atque magis (quamquam secreta parentis
Anchisæ domus, arboribusque obtecta recessit)
Clarescunt sonitus.

Observat tamen Ludovicus Carbon, quod si hæc Interpositio longior evadet, perspicuitatis gratiâ repetatur id, quod principio fuerat collocatum, aut iisdem, aut æquivalentibus verbis: v. g. *Cave ne existimes, Brute (quamquam non est necesse ea me ad te, quæ tibi nota sunt, scribere) cave putes &c.*

3.º Tmesis τμῆσις latinè *Intercisio* est simplicis verbi sectio, aut unius compositi, unâ dictione, aut pluribus interjectis; ut: *maximo te orabat opere; antea verò quam; quo me cumque feret tempestas.* Virg. 1. Æn.

Talis Hyperboreo septem subjecta trioni.
Et multùm nebulæ circum Dea fudit amictu.
Jamque adeo super unus eram &c.

Cic. 1. ad Att. 17. *Per mihi, inquit, gratum feceris.* Item Poëta Christianus.

Hiero quem genuit solymis Davidica proles.

Item. *Quæmecumque vocant terræ &c.*
Quo res cumque cadent &c.

4. Synchysis σύγχυσις seu *Confusio*, est ordinis verborum perturbatio, quam Herennianus Auctor *transjectionem* appellat. Exempla idem hæc profert: *Instabilis in istum plurimùm fortuna valuit;* Item. *Omnes invidiosè eripuit tibi benè vivendi casus facultates.* Hæc autem trajectio, ut ibidem Auctor monet, interdum prodest ad continuationem; in quâ oportet verba, sicuti Poëtis, in quendam extruere numerum; ut perfectè, & perpolitissimè possit esse absolu-

soluta. Cavendum tamen, ne obscuritatem inducat; quemadmodum Horatianum illud l. 1. Sat. 5.

Namq; pila lippis inimicum, & ludere crudis.

pro & crudis. Item ex parte Virgilianum hoc 1. Æn.

Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet:
Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus, aras.

Est enim hic ordo. Tres abreptas naves Notus in saxa torquet, quæ saxa in mediis fluctibus latentia Itali aras vocant.

5. Hysterologia ὑστερολογία seu Prothysteron πρόϑ' ὕστερον, idest sermo præposterus, cùm præpositio non cum casu, quem regit, sed cum verbo conjungitur, ut: *adv nire urbem: arma virumque*, pro *venire ad urbem: arma, & virum*. Et cùm Relativum præponitur pronomini demonstrativo; ut: *Quibus in rebus alii peccant, in jis tu erras*: qui loquendi modus Tullio fuit in amoribus. Itidem, cùm Relativum sententiæ, ad quam refertur, postponitur. v.g. *Tamen quæ tua suavitas est, quique in meo amor, nolles a me hoc tempore æstimationem accipe.*

6. Hysteron proteron ὕστερον πρότερον sensuum præposterus ordo; in superiori figurâ est verborum; hic verò rerum transportatio. ut:

Postea Phœbea lustrabat lampade terras;
Humentemque aurora polo dimoverat umbram.

Ante enim umbra noctis dimovetur, quàm sol oriatur. Virg. 1. Æn.

Postquam altos tetigit fluctus, & ad æquora venit.

Priùs

Prius enim ad æquora venit, & sic tetigit fluctus. Tale est & illud Psal. 23. *Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.* Prius enim, inquit Beda, *Dominus miserando justificat impium; & sic benedicendo coronat justum.* Hanc figuram peculiarem Homero fuisse indicat Tullius ad Atticum.

7. Hypallage ὑπαλλαγὴ, quæ est mutua casuum permutatio, ut cùm prius posterioris, posterius prioris casu effertur. ut: *dare classibus austros* pro *Classes austris. Ibant obscuri sola sub nocte*, idest *soli sub nocte. Solstitium pecori defendite* pro *pecudes à solstitio &c.* Virg. Æn. l. 1. *Scuta virum, galeasque & fortia corpora volvit.* idest *fortium virorum.*

Cæterùm Hyperbaton quod frequenter ratio comparationis (ut optimè Fabius l. 8.) & decor poscit, non immeritò inter virtutes habemus. *Fit enim frequentissimè aspera, & dura, & dissoluta; & hians oratio; si ad necessitatem ordinis sui verba redigantur. Et ut quodque oritur, ita proximus etiam si vinciri non potest alligetur. Differenda igitur quędam, & præsumenda, atque ut in structuris lapidum impolitiorum, loco, quo convenit quidque ponendum. Non enim recidere ea, aut polire possumus, quo coagmentata se magis jungant. Sed utendum iis, qualia sunt, eligendæque sedes; nec aliud potest sermonem facere numerosum, quàm opportuna ordinis mutatio.* Hæc Fabius. Puritati sermonis Hyperbaton contrarium esse contestatur Hermogenes. Sanè hoc facit, si nimium, & perperam frequentetur; ut tenebras, & obscuritatem in oratione inducat. DE

De Hyperbole. Cap. VI.

Aut nimiùm tenuat, vel tollit Hyperbole verum.

I. HYperbole ὑπερβολὴ latinè superlatio, eminentia excessus, ementies superjectio, ut eam vocat Fabius libr. 8. quamque Cicero describens ait esse Trajectionem augendi, minuendive causa repertam, ex quibus verbis 3. Orat. erui potest illius definitio, ut sit *oratio, qua res justo altiùs attollitur, aut deprimitur.* Ita si dixero aliquem *spongia bibaciorem, praeeuntem cursibus auras, longè nive candidiorem &c.* extolletur supra fidem, ac veritatem oratio: si autem quempiam *testudine tardiorem, Codro pauperiorem, Ethiope nigriorem &c.* appellavero, tenuabitur infra veritatem sermo. Pluribus autem modis fieri poterit Hyperbole, quos recenset Fabius l.8. c. ult.

1. Simpliciter quale est Cic. Philipp. 2. *Vomens frustis esculentis gremium suum, totum tribunal implevit.* In Catil. 2. *Uno mehercule Catilina exhausto, relevata mihi, & recreata Resp. videtur. Quid enim mali, aut sceleris fingi, aut excogitari potest, quod non ille conceperit? quis tota Italia veneficus, quis gladiator, quis latro, quis sicarius, quis paricida, quis testamentorum subjector, quis circumscriptor, quis ganeo, quis nepos, quis adulter, quae mulier infamis, quis corruptor juventutis, quis corruptus, quis perditus inveniri potest, qui se cùm Catilina non familiarissimè vixisse fa-*

fateatur? quæ cædes per hosce annos sine illo facta est? quod nefarium stuprum non per illum?
Virg. Æn. l. 1.
Geminique minantur In cælum scopuli.
Idem ibid.
Fluctusque ad sydera tollit. & lib. 11.
Fæmineum clamorem cæli ad sydera tollunt. &
Cælum territat armis. Horat. ode pr.
Sublimi feriam sydera vertice.
Item Virg. l. 7.
At sæva è speculis tempus Dea nacta nocendi.
Ardua tecta petit: stabuli & de culmine summo
Pastorale canit signum: cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem, qua protinus omne
Contremuit nemus; & silvæ intonuere profundæ.
Audiit & Triviæ longè lacus: audiit amnis
Sulphurea Nar albus aqua, fontesque Velini.
Statius de equo Domitiani Silv. 1. sic exorditur.
Quæ super imposito moles geminata Colosso
Stat Latium complexa forum? Cælo ne peractum
Fluxit opus? Siculis an conformata caminis
Effigies lassum Steropem, Brontemque reliquit?
Ante Palladiæ talem, Germanice, nobis
Effinxere manus, qualem modò frena tenentem
Rhenus, & attoniti vidit domus ardua Daci?

2. Per similitudinem; ut: *Corpore niveum candorem, aspectu igneum ardorem assequebatur.* Virg. Æn. 10.
Ardet apex capiti, cristisq; in vertice flamma
Funditur; & vastos umbo vomit aureus ignes;
Non secus ac liquida si quando nocte Cometæ
Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor.
Credas innare revulsas Cycladas.

3. Per

3. Per Comparationem, ut: *Tantus erat in armis splendor, ut solis fulgor obscurior videretur*. Sic dicimus: *Fugit ocyor Euro. Fulminis ocyor alis. Scopulo firmior. Durior saxa.* Martial. lib. 8. ab hoc fonte claudit Epig. 14. in crudelem amicum; adiecta quoque Ironicâ.

Pallida ne Cilicum timeant pomaria brumam;
Mordeat & tenerum fortior aura nemus:
Hibernis objecta notis specularia puros
Admittunt soles, & sine fœce diem.
At mihi cella datur non tota clausa fenestra;
In qua nec Boreas ipse manere velit.
Sic habitare jubes veterem, crudelis, amicum?
Arboris ergo tuæ tutior hospes ero.

4. A signis elegans est Virgiliana illa Hyperbole 7. Æn. de Camillâ Virgine, quam tantæ velocitatis facit, atque celeritatis; ut ventos præverteret, nec aristas læderet, neve fluctus tangeret.

Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas.
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Hæc autem ex Homero sumpsit Virgilius; & meliori subjecto aptavit; talia enim protulerat de Equis Iliad. 20. hoc pacto.

Istæ autem quando saltarent in fertili agro
Per summum spicarum fructum currebant, neque frangebant.
At cùm jam saltarent super lata dona maris,
In summitate litoris maris albentis currebant.

Vide hic cum Scaligero quàm feliciùs expresserit sensus Latinus, quàm Græcus Poëta. Ovid. etiam l. 10. Metamorph.

Posse putes illos sicco freta radere passu;

Et

Et segetis canæ stantes percurrere aristas.

II. Quot habuisti extollendi genera, totidem & minuendi habere potens per Hyperbolen. ut idem notat Quintil. l. 8. cap. 4. Virg. 3. Eclog. *Vix ossibus hærent.* Cicero in quodam joculari libello:

Fundum Varro vocat, quem possim mittere funda:
Ni tamen exciderit quà cava funda patet.

Huic sunt affinia.

Bis magna victi pugna vix urbe tuemur.
Vix hostem alterni, si congrediamur habemus.
Tenuesque recessit. *Consumpta in ventos.*

Cic. 2. in Rull. *Sullanus ager à certis hominibus latissimè continuatus, tantam habet invidiam, ut veri, ac fortis Tribuni pleb. stridorem unum perferre non possit.* Istæ simpliciter minuunt; hæ per similitudinem, & Comparationem.

Mortalis mucro glacies ceu futilis ictu
Dissiluit fulva resplendet fragmina arena. Et *Projecta vilior alga.*

Et Cic. in Pison. *Sic iste tanto exercitu, tanta provincia, triennio post, Macedonicus Imperator, in Urbem se intulit; ut nullius negotiationis obscurissimi redditus unquam fuerit dejectior.* Insigne est per diminutionem 17. Epigramma Martialis l. 11. ad Lupum, quod hic apponere libet animi relaxandi, & instituendi causâ.

Donasti, Lupe, rus sub urbe nobis;
Sed rus est mihi majus in fenestra.
Rus hoc dicere, rus hoc potes vocare?
In quo ruta facit nemus Dianæ;
Argutæ tegit ala quod cicadæ;
Quod formica die comedit uno;

Clau-

Clausæ cui folium rosæ corona est:
In quo non magis invenitur herba
Quàm costi folium, piperque crudum:
In quo nec cucumis jacere rectus;
Nec serpens habitare tuta possit.
Erucam malè pascit hortus unam.
Consumpto moritur culex salicto;
Et talpa est mihi fossor, atque arator.
Non boletus hiare, non mariscæ
Ridere, aut violæ patere possunt:
Fines mus populatur, & colono
Tamquam sus Calydonius timetur:
Et sublata volantis ungue Procnes
In nido seges ut hirundinio
Vix implet cochleam peracta messis;
Et mustum nuce condimus picata.
Errasti, Lupe, litera sed una:
Nam quo tempore prædium dedisti
Mallem tu mihi prandium dedisses.

III. Crescit interdum Hyperbole aliâ insuper additâ; ut notat Quintil. l:8. c. ult. Egregium hujus rei præbet exemplum Cicero in Antonium Philip. 2. ubi ostendit quâ nequitiâ helluatus fuerit, & paucis diebus obligurierit bona Pompeij: *Quæ Charybdis tam vorax? Charybdim dico? quæ si fuit, fuit animal unum: Oceanus medius fidius, vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam citò absorbere potuisse. Nihil erat clausum, nihil obsignatum, nihil scriptum apothecæ, rotæ nequissimis hominibus condonabantur &c.* Idem in Verr. act. 7. *Versabatur in Sicilia longo intervallo, non Dionysius ille, nec Phalaris (tulit enim illa quondam insula multos, & crudeles tyrannos) sed novum quoddam monstrum ex vetere illa*

illa immanitate, quæ in iisdem versata locis dicitur. Non enim Charybdim tam infestam, neque Scyllam navibus, quam istum in eodem freto fuisse arbitror. Hoc etiam iste infestior, quod multò se pluribus, & majoribus canibus succinxerat. Cyclops alter multò importunior &c. Exquisitam verò hujus rei figuram deprehendisse se asserit Fabius apud Principem Lyricorum Pindarum, in libro, quem inscripsit ὕμνους. Is namque Herculis impetum adversus Meropas, qui in insula Co dicuntur habitasse; non igni, nec ventis, nec mari, sed fulmini dicit similem fuisse; ut illa minora, hoc par esset. Habe & hoc exemplum à Minturno l. 6. Poëtices adductum:

Ac neque eos jam frena vinum, nec verbera sæva,
Non scopuli, rupesque cavæ, atque objecta retardant.
Flumina correptos unda torquentia montes.

Plures agglomerant similitudines etiam Claud. de Bello Getic. Stiliconis militarem impetum elaturus:

Si bos abductus aratro;
Si libata seges: non hanc ergastula nobis
Immiscere manum: nec conjurantis arenæ
Turba fuit, qualem Stilico dejecerit hostem.

Idem Claud. de VI. Consulatu Honorii.

Si dominus legeretur equis, tua posceret ultro
Verbera Nereidum stabulis nutritus Arion.
Serviretque tuis, contempto Castore, frenis
Cyllarus, & flavum Xanthus sprevisset Achillem.
Ipse tibi famulas præberet Pegasus alas:
Portaretque libens; melioraque pondera passus

Bel-

Bellerophonteas indignaretur habenas.
Quin etiam velox Auroræ nuncius Aethon,
Qui fugat hinnitu stellas: roseoque domatur
Lucifero, quoties equitem te cernis ab astris,
Invidet; inque tuis mavult spumare lupatis.

Per plures similitudines Lupi agellum imminuit Mart. Epigr. nuper laudato; nihilominus placet aliud afferre de Phialâ ad Paullum, quod est 33.lib.8.


De prætoritia folium mihi, Paulla, corona
Mittis; & hoc phialæ nomen habere jubes.
Hac fuerat nuper nebula tibi pegma perunctum.
Pallida quam rubri diluit unda croci.
An magis astuti derasa est ungue ministri,
Bractea de fulcro (quod reor esse) tuo?
Illa potest culicem longe sentire volantem,
Et minimi pennas papilionis agi.
Exiguæ volitat suspensa vapore lucernæ:
Et leviter fuso rumpitur icta mero.
Hoc linitur sputo Jani cariota Kalendis;
Quam fert cum parvo sordidus asse cliens.
Lenta minus gracili crescunt colocasia filo:
Plena magis nimio lilia sole cadunt.
Nec vaga tam tenui discursat aranea tela:
Tam leve nec bombyx pendulus urget opus.
Crassior in facie vetulæ stat creta Fabullæ:
Crassior offensæ bulla tumescit aquæ:
Fortior & tortos servat vesica capillos:
Et mutat Latias spuma Batava comas.
Hac cute Ledæo vestitur pullus in ovo:
Talia lunata splenia fronte sedent.
Quid tibi cum phiala, ligulâ cum mittere posses
Mittere cum posses vel cochleare mihi?
Magna nimis loquimur: cochleam cum mittere posses:
Denique cum posses mittere, Paulle, nihil.

IV. Leguntur & in Sacris Bibliis tam minuendi, quàm augendi complures hyperboles. Pauculas hîc pro instituto adduxisse sufficiat. Genes. c. 22. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli; & velut arenam, quæ est in littore maris.* Et Judic. cap. 7. *Omnes orientales populi fusi jacebant in valle, ut locustarum multitudo: cameli quoque innumerabiles erant, sicut arena, quæ jacet in littore maris.* Quæ augendi formæ sunt etiam in libris Regum, in Exodo, Levitico; Numeris, Deuteronomio, & Josue, & Tren. 4. *Nigrata super carbonem facies eorum;* quæ omnia ad expressionem dicta sunt, non ad deceptionem. Non enim in eum finem adhibetur, ut id credatur quod dicitur; sed ut aliquid majus cogitetur, quod verbis sine superlatione prolatis exprimi non potest; & ut per incredibile quasi incredibile, & per falsum verum credatur Cùm itaque dicitur nive candidior, maximus quidam designatur candor. Cæterùm, ut monet etiam Fabius, Hyperboles servanda mensura est: *Quamvis enim* (ejus sunt verba) *est omnis Hyperbole ultra fidem; non tamen esse debet ultra modum; nec alia magis via in cacozeliam itur. Piget referre plurima hinc orta vitia; cùm præsertim minimè sint ignota & obscura. Monere satis est, mentiri Hyperbolen; nec ita ut mendacio fallere velit; quo magis intuendum est quousque deceat extollere, quod nobis non creditur. Pervenit hæc species frequentissimè ad risum; qui, si aptus est, urbanitatis; sin aliter stultitiæ nomen assequitur. Est autem in usu vulgo quoque, & inter ineruditos, & apud rusticos;* videlicet quod

à natura est omnibus augendi res, vel minuendi cupiditas insita. Nec quisque vero contentus est; sed ignoscitur, quia non affirmamus: tum est Hyperbole virtus; cùm res ipsa, de qua loquendum est, naturalem modum excessit. Conceditur enim amplius dicere, quia dici quantum est non potest; meliusque ultra, quam citra stat oratio. Hucusque laudatus Rhetor. Ex his apparet, valere hanc figuram ad augendum, & amplificandum, minuendumve; atque ad id explicandum, quod aliàs exprimi non posset; quapropter ad amplificationem valdè conducit. Adagiorum generi insuper multum est accommodata. Denique ad sales, facetias, dicacitates, & id genus alia nata est. *Exoritur etiam vehementia ex Hyperbole*: ut monet Demetr. 244. *Vehementem enim animi motum indicant* (ut inquit Aristot. Rhet. l. 3. c. 11.) *itaque irati præcipuè superlationibus utuntur.*

Non mihi si tam multa daret, quam magnus arenæ est
Pulueris & numerus:
Non ducam uxorem, mihi crede, Agamemnone natam;
Quamvis ingenio sapientem Pallada vincat:
Et pulchræ Veneri præstanti corpore certet.

Hoc genere maximè utuntur Attici Oratores.




PARS QUINTA.

DE

FIGURIS VERBORUM, ET SENTENTIARUM.

QUID, ET QUOTUPLEX FIGURA. Ejus CAUSAE, ET UTILITATES.

Cap. I.

I. 
RNATUM sermonis in Tropis non modò, verùm & in Figuris positum esse unanimi consensu eloquentiæ Magistri perpetuò protulere. Nam ea est inter ipsas similitudo, iidem effectus, ut Troporum multi inter Figuras accensiti, & Figuræ Tropis admixtæ reperiantur; cùm & C. Artorius Proculus Tropis Figuræ nomen imponere minimè dubitaverit. Congruum porrò visum est, cùm superiùs de illis nonnulla pro instituto dixerimus; hìc etiam de istis quædam adnectere, non quidem fusè, & ad satietatem usque pertractanda, sed clariori quadam methodo, sufficienti exemplorum multiplicitate, ac debitâ præcipienti perspecuitate. Neque enim omnia aut datum, aut lici-

licitum fuit prosequi; nam cùm tot tantaque hujus nominis prostent Volumina, tot tantaque Pędagogorum de Figuris scripta circumferantur; diutiùs in his tradendis, perpendisque immorari non lubuit. Neque hoc dabimus ostentationi, quod multi faciunt, ut schemata, Græcâ voce proponamus, suppressâ Latina eorum significatione; hoc enim esset, non lucem, sed tenebras inducere. Incœptis igitur insistendo, Latinam dabimus simul, & Græcam.

II. Figura autem Græcè σχῆμα dicitur per metaphoram, idemque sonat ac *habitus*, seu *forma*; eodem enim pacto se habent schemata in oratione, ut optimè innuit Tullius, ut habitus, gestusque in corporis actione: sicut autem uni corpori plura aptari queunt vestimẽta; sive ad ornatum, sive ad gravitatẽ, sive ad voluptatem, & luctum; ita prorsus uni sententiæ varia aptari poterunt schemata; quibus majestas, varietas, lepos, & decus ipsimet accedet. Variis ergo modis describi consuevit à Scriptoribus Figura. Quintiliano l.9. cap. 1. *Est conformatio quædam sermonis remota à communi, & primùm offerente se ratione.* Alexandro Rhetori, *Mutatio orationis in melius*, hoc est, ornatior quędam forma dicendi. *Aliis est novata dicendi ratio, quæ quasi motum, ac gestum magnitudinemque orationi præbet nulla vocum mutatione facta.* Sed omnes huc collimabunt definitiones, ut Figura sit *elegantior quædam efformatio sermonis, remota à communi sensu, & consuetudine loquendi*. Quapropter quidquid

quid à vulgari dicendi forma recesserit, id non sine figurâ dictum credendum est. A Tropo tamen figuram differre videmus: quia figura propriam rei significationem retinet; Tropus verò aut verbum, aut sententiam à propriâ in impropriam transfert significationem.

III. Quoad figurarũ multiplicitatem, sciendum, incertum numerum ab omnibus statui solere. Ex tot enim quos perlegerim Auctoribus, nullum, aut vix ullum reperero, qui in numero, ordine, appellatione cum altero conveniat. Discrepant ab Auctore ad Herennium Fabius, à Fabio Aquila, ab Aquila Rutilius, Cassiodorus, & alii sexcenti. Recentiorum pariter eadem omninò est ratio; nam hi multo plures agnoscunt quàm veteres. Tullius quoque sibi similis ubique hac in parte non est; nam in tertio oratorio, numerum figurarũ auget, quem minuit in Oratore. Licèt tamen in præfiniendo schematum numero inter se pugnent Rhetores, in assignandis tamen illorum generibus, omnes ad unum ferè consentiunt; duplex scilicet esse, alterum *Dictionis*, seu *Verborum*, alterum *Sententiarum* λέξεως, ϰ διανοίας. Hoc autem interest inter ea, quod schemata verborum tolluntur, si aut verba mutentur, aut invertatur illorum ordo: at schemata sententiarum, quibuscumque utamur verbis, aut quocumque ea ordine ponantur, perdurant. exemplo res fiat apertior: *Inceptio est amentium, non amantium*. Schema verborum est; si enim pro *amentium* dixero *stultorum*, figura corruet.

Sed

Sed ſchema ſententiæ eſt, ſi patriam loquentem induxero, aut ſi utar ſimilitudine quapiam; quia quæcumque verba hîc uſurpabo, aut quocumque ea loco donabo, ſchema non tollent; ſed idipſum ubique permanebit.

IV. Figurarum cauſas Naturam agnoſco ſimul, & Artem. Naturam quidem; nam homines naturæ inſtinctu pleraque figuratè efferunt etiam in quotidiano, ac ſimplici ſermone; interrogant enim quandoque, repetunt, exclamant, mirantur, ironicè quid enunciant &c. Artem, quæ objecta præcogitare, atque antea diluere docet: Conceſſionibus, Præteritionibus ſententiam ſtabilire: Proſopopeis res ob oculos ponere: Reticentiis, Obteſtationibus, animi affectus patefacere. Hæc ſcilicet ea omnia ſuggerit, quæ ad rem vel ſuadendam, vel diſſuadendam magis conſona, & apta videntur, quæ huic potius quam alteri ſunt proponenda. Quia verò naturam perficere artis ſemper fuit: ideo eâ in oratione venuſtatis magis elucescet, in quâ artis plurimum inerit, minùs naturæ.

V. Quod utilitatem figurarum ſpectat: ut miſſum faciam quod ſchemata orationem graviorem, jucundiorem, ac minùs vulgarem faciant; his jacentem excitamus, & veluti ad prælium ſtimulis adigimus; elatum deprimimus, iracundum ſedamus, vitioſum deterremus, ingenuum veluti coloribus quibuſdam depingimus; ac ut omnia verbo complectar; figuris, delectamus, docemus, movemus; hiſque veluti car-

cardinibus tota vis Rhetorum innixa. Nitar ſuadere, ſed verbis communibus nullo artificio veſtitis; operam perdam. figuratè efferam, quæ priùs nudè; movebo, ciebo affectus, res ſuccedet ex voto. Dicat Tullius. *Diu abuteris Catilina patientia noſtra*, quæ vis fuerit in ſententia? Per interrogationem enunciet. *Quouſque tandem abutere, Catilina, patientia noſtra?* Vides animum percelli. Idem judicium de cæteris eſto.

VI. Diſceptatio eſt apud aliquem, num primùm de figuris, quæ in verbo, aut de jis, quæ in ſententiâ ſit agendum: quia prius aliquid mente concipiatur, quàm enuncietur. Sed vel nullus eſt qui illi ſubſcribat: nam tritum apud homines axioma, à facilioribus, & ſimplicioribus inchoandum. Simplicior autem dictio, ſententiâ; natura, arte. Meliores ergo ſecuti, de figuris in verbo poſitis in præſentia tractabimus, quas in tres claſſes diſponunt. Aliæ ſiquidem fiunt

Per Adjectionem,
Per Detractionem,
Per ſimilitudinem.

De Figuris Verborum, quae fiunt per Adjectionem.
Cap. II.

I. PRimum locum inter Verborum ſchemata tenet *Repetitio*, Græcè Anaphora ἀναφορά quæ fit quoties ab eodem verbo ſæpe ducitur oratio; ſeu, ut habet Au-

Auctor ad Heren. *cùm continenter ab uno, atque eodem verbo in rebus similibus, & diversis principia sumuntur*. ut: *Vobis istud concedendum est, vobis omnia majorum insignia permittenda, vobis omnes dignitatum gradus offerendi*. Item. *Antonius hostium astus detexit: Antonius Sicariorum minas parvipendit: Antonius necem ipsam pro patriæ libertate subivit. Non illum nobilitas generis, non illum filiorum amor, non illum Patris lacrymæ à proposito dimovere*. Cic. Catil. 1. *Nihil te nocturnum præsidium palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil consensus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi Senatus locus, nihil horum ora vultusque, moverunt?* Idem pro Quin. *Quid hæc amentia, quid hæc festinatio, quid hæc immaturitas tanta significat? Non vim, non scelus, non latrocinium, non denique omnia quàm jus, quàm officium, quàm pudorem*. Et Philip. 2. *Accusa Senatum: accusa Equestrem ordinem, qui cum Senatu copulatus fuit: accusa omnes ordines*. Virg. 1. Georg.

Te dulcis conjux, te solo in littore secum
Te veniente die, te discedente canebat.

Et Æneid. 1.

Tu mihi quodcumque hoc Regni, tu sceptra Jovemque
Concilias; tu das epulis accumbere Divum.

Item 3.

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

Et alibi.

Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lacrymas victus dedit?

Hæc figura multùm habet venustatis, imò gra-

gravitatis, & acrimoniæ plurimùm; quare valet ad exornandam, amplificandamque orationem; & si unico verbo tota Repetitio claudatur, velocitatem facit, & delectionem parit. Vis ejus exinde apparebit, inquit Phalereus 281. quod si dixero: *Contra teipsum vocas, contra leges vocas, contra democratiam vocas &c.* oratio reddetur efficax: at si repetitionem sustulero, atque enunciavero *Contra teipsum & leges, & democratiam vocas,* vehementiam una simul sustulero.

Ex variis Repetitionum modis, variæ oriuntur figuræ, ex quibus est

II. *Conversio,* seu *Reversio*, quam Julius *Epistrophen* ἐπιστροφὴν vocat, Aquila *Antistrophen* ἀντιστροφὴν, Rutilius *Epiphoram* ἐπιφορὰν, est cùm in idem verbum, desinunt commata, aut membra periodi, sive ex Auct. ad Her. *Est per quam, non ut ante primum repetimus verbum, sed ad postremum continenter revertimur*, hoc modo: *Pœnos populus Romanus justitia vicit, armis vicit, liberalitate vicit.* Item. *Ex quo tempore Puer nefariis se comitem adjunxit Sociis, Pietas sublata est, innocentia sublata est, Religio sublata est*. Cic. Phil. 2. *Doletis tres exercitus populi Romani interfectos? Interfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives? Eos eripuit vobis Antonius. Auctoritas hujus Senatus afflicta est? Afflixit Antonius.* Id. in Vat. *Atque etiam illud à te audire cupio: quare, cùm ego legem de ambitu tulerim, ex S.C. tulerim, sine vi tulerim, salvis auspiciis tulerim, salva Lege Aulia & Fusia tulerim; tu eam esse legem non putes?* Virgil. Eclog. ultimâ.

Sur-

Surgamus, solet esse gravis cantantibus umbra:
Juniperi gravis umbra: nocent & frugibus umbra. Ovid.
Crede mihi si te quoque Pontus haberet
Te sequerer conjux, & me quoque Pontus haberet.

Martial. l. 2. Epig. 17.

Capto tuam pudet heu, sed capto, Maxime, cœnam:
Tu captas alias, jam sumus ergo pares.
Mane salutatum venio; tu diceris isse
Ante salutatum; jam sumus ergo pares
Sum comes ipse tuus, tumidique anteambulo Regis
Tu comes alterius: jam sumus ergo pares.

III. *Complexio*, seu *Conjunctio* quam Græci *Symplocen* συμπλοκὴν, *Cœnoten* κοινότητα, est quæ Repetitionis, & Conversionis figuras conjungit, & complectitur; hoc est cùm membra ab uno verbo incipiunt, ac in uno novissimè acquiescunt. ex. gr. *Qui sunt qui fœdera sæpe ruperunt? Chartaginenses. Qui sunt qui Italiam deformaverunt? Chartaginenses. Qui sunt qui sibi postulant ignosci? Chartaginenses.* Auct. ad Heren. *Quem Senatus damnarit, quem pop. Romanus damnarit, quem omnium existimatio damnarit, eum vos sententiis vestris absolvetis.* Stratocles. *Quæritis novam rationem administrandæ reipublicæ: at reperire meliorem quam a majoribus accepistis, non potestis. Quæritis maximis sumptibus faciendis quomodo tributa ne conferatis? at consiliis captas ærarii opes quas rapitis, augere non potestis. Quæritis quemadmodum scelere contamina-*

minatis hominibus parcatis? at ignoscendo nocentibus, innocentium salutem custodire non potestis. Cic. pro Mil. *Quis eos postulavit? Appius. quis produxuit? Appius*. Id. pro Lege Agr. *Quis legem tulit? Rullus. Quis majorem populi partem suffragiis privavit? Rullus. Quis Comitiis præfuit? idem Rullus*. His similis est Complexio quam habet Psalmista 123. Horatius 1. ep. 1.

Si curtatus inæquali tonsore capillos
Occurrit, rides: si fortè subucula pexæ
Trita subest tunicæ, vel si toga dissidet impar,
Rides &c.

Sunt & in exemplum hi versus à Farnabio adducti:

Quam bene, Cunne, tuo poteras nurus esse parenti;
Quam bene, Cunne, tuo poteras gener esse parenti.

Hoc schema valet potissimùm ad exaggerandas virtutes aut vitia. Nullum est exornationis genus, quo crebriùs uti liceat; si credimus Georgio Trapezuntio lib. 5. At, me judice, parciùs potiùs frequentandum crediderim; nam cùm nudum habeat artificium, facilè auribus fastidium parit.

IV. *Conduplicatio, congeminatio*, Græcè *Anadiplosis* ἀναδίπλωσις dicitur. Julius *Epanadiplosin*, Rutilius *Prosapodosin* vocat. Fit autem quando idem verbum in eâdem sententiâ, aut periodo duplicatur; seu, ut tradit Auct. ad Her. *cùm ratione amplificationis, aut commiserationis, ejusdem unius, aut plurimum verborum iteratio*. Porrò hæc ejusdem verbi iteratio pluribus modis fieri potest.

In

1. In principio ſententiæ; ut in hoc Cic. pro Mil. *Erit, erit illud profectò tempus.* Id. poſt red. *Potui, potui Patres conſcripti multis auctoribus fortiſſimis viris, me vi, armiſque defendere.* Et in Catil. *Vos vos appello ò fortiſſimi viri: mea mea eſt iſta defenſio.* Item Ver. 7. *Crux, crux, inquam infœlici, & ærumnoſo.* Item pro Mil. *Excitate, excitate eum, ſi poteſtis, ab inferis.* Ibid. *Vivis, vivis, non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam.* Virg. Ecl. 2.

O Corydon Corydon, quæ te dementia cœpit.

Idem.

Me, me adſum qui feci: in me convertite ferrum

O Rutili. Horat.

O cives, cives, quærenda pecunia primum eſt.

Seneca Med.

Adeſte, adeſte ſceleris ultrices Deæ.

Verbum ſic in principio iteratum Epizeuxin ἐπίζευξιν figuram quidam vocant. Valet, ut notat Carbon, ad ſignificandam animi vim, ad amplificandum, aſſeverandum, remque demonſtrandam. Vehementer auditorem commovet; ut addit Auctor ad Heren. & vulnus majus efficit in contrario cauſæ; quaſi aliquod telum ſæpius perveniat ad eandem partem corporis.

2. Quando in idem verbum à quo cœpit deſinit periodus: ut: *Commotus non es cùm tibi mater pedes amplexaretur, non es commotus?* Cic. pro Mil. *Negat ingratis civibus quæ fecit; timidis, & omnia circumſpicientibus non negat.* Id. pro Marcel. *Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam; gladium vagina vacuum in Urbe non vidimus.*

dimus. Id. pro Sext. *Ademit Albino Soceri nomen mors filiæ; sed charitatem illius necessitudinis, & benevolentiam non ademit.* Id. pro L. Syllâ. *Fero ergo te, Torquate, jam diu fero.* Et 2. Phil. *Sustulit diem fortuna Populi Romani: num etiam tuum de auspiciis judicium interitus Cæsaris sustulit?* Virg. 12. Æn.
Victus amore tui, cognato sanguine victus.
Ibidem.
Multa super Priami rogitans, super Hectore multa.
Ovid. l. 2 Fast.
Una dies Fabios ad bellum miserat omnes:
Ad bellum missos perdidit una dies.
Virg. alibi.
Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo.
Ultrò animos tollit dictis, atque increpat ultrò.
Martialis quoque pluribus in locis, sed præcipuè l. 8. epig. 21. l. 9. epig. 76. Catullus, & communiter Poëtæ sæpius frequentant; unde ipsemet Juvenalis.
Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.
Habet hæc figura suavitatis, festivitatis, atque energiæ plurimùm, & Epanalepsis ἐπανάληψις dicta est.

3. Quando verbum, quod erat in fine sententiæ, reperitur initio alterius, ut: *Magna reipublicæ spes sita est in juventute; in juventute inquam illa, quæ ab ipso ætatis primordio, tum pietatem, tum literas erit edocta.* Cic. pro Mil. *Ab illo tempore annum jam tertium & vigesimum regnat; & ita regnat, ut &c.* Et pro Catil. *Hic tamen vivit: Vivit? imò verò in Senatum venit.* Id. pro Ligar. *Principum dignitas erat pene par, non*

par fortasse eorum qui sequebantur. Virg. Eclog. 10.

Pierides vos hæc facietis maxima Gallo,
Gallo cujus amor tantùm mihi crescit in horas. &
Addit se sociam, timidisque supervenit Ægle,
Ægle Naiadum pulcherrima &c. &
Deiphobum vidi lacerum crudeliter ora,
Ora, manusque ambas &c. &
Concurrunt Tyrrhenæ acies, atque omnibus uni
Uni odiisque viro, telisque frequentibus instant,

Lucretius itidem, Statius, aliique hanc figuram in deliciis habuere; est enim in versu heroico suavissima; modò non perperam & tribus quibusque versibus usurpetur; additque emphasim, & ad granditatem sermonis facit. Huic reiterationis modo, nomen figuræ Palilogiæ παλιλογίας dedere Rhetores.

4. Quando idem repetitur verbum aliquâ interjectione, aut verborum, aut Parenthesis factâ; ut: *Divum clementia Divum. Dic, age, dic &c.* Cic. Phil. 2. *Hasta posita pro æde Jovis Statoris, bona (miserum me; consumptis enim lacrymis, tamen infixus animo hæret dolor) bona, inquam C. Pompeii Magni, voci acerbissimæ subjecta præconis.* Id pro Mil. *Tuas Cn. Pompei (te enim appello ea voce, ut me audire possis) tuas, inquam, suspiciones perhorrescimus.* Et pro domo suâ: *Sed excitatus aliquando (dicam audiente ipso quod sentio) excitatus, inquam, Pompeii nimiùm reconditus, & penitus abstrusus animi dolor.* Virg.

Scis Proteus, scis ipse;
Culpatusq; Paris Divum inclementia Divum:

Iti-

Itidem figuratũ erit, siquę Parenthesin præcesserit verba omnia, illâ clausâ in integrũ repetantur, ut videre est hoc in exẽplo Cic. Ver. *Quid Cleomenes facere potuit? (non enim hic possum quemquam insimulare) quid, inquam Cleomenes facere potuit?* Virg.

Huc Pater, ò Lenæe (tuis hic omnia plena
Muneribus tibi pampineo gravidus autumno)
Huc Pater, ò Lenæe veni.

Hæc figura *Diacope* διακοπὴ, sive *Separatio* dicta est, habetque nonnihil venustatis, & acrimoniæ. Plura ejus occurrent exempla in Psalmis.

5. Quando primo verbo respondet medium, aut ultimum medio; ut: *Tumultus C. Gracchi, tumultus domesticos, & intestinos comparat. Quoties literis operam dedisti, toties honoribus tuis, Patriæ utilitatibus incrementum dedisti.* Cic. pro Mil. *Exhibe quæso, Sexte Clodi, exhibe librarium illum legum vestrarum.* Et pro Marc. *De nobis, quos in Republica tecum simul salvos esse voluisti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de singulari sapientia tua cogitabis.*

Et longum formose vale, vale inquit Jola.

V. *Traductio*, seu *Trajectio*, Græcè *Metabole* μεταβολὴ, fit cùm idem verbum cum quadam distinctione, & varietate repetitur; quæ non fastidium, sed delectationem parit, & orationem concinniorem reddit: ut: *Qui nihil habet in vita jucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere.* Item. *Eum tu hominem appellas, qui si fuisset homo, nunquam tam crudeliter vitam hominis petiisset.* Item. *Divitias sine divitum*

esse;

esse; tu verò virtutem præfer divitiis; nam, si voles divitias cum virtute comparare, vix satis tibi idoneæ videbuntur divitiæ, quæ virtute comparare, vix satis tibi idoneæ videbuntur divitiæ, quæ virtutis pedisseq; sint. Cic. in Orat. *Itaq; efficis, ut cùm gratiæ causa nihil facias, omnia tamen sint grata quæ facis.* Perſ. Sat 1. *Scire tuum nihil est; nisi te scire hoc sciat alter.* Traductionis ſpecies *Polyptoton* πολύπτωτον est, fitque quoties idem verbum repetitur variatis caſibus, generibus, aut numeris; ut: *Senatus est summi imperii consilium, Senatui urbis cura solet demandari, ad Senatum in adversis omnes confugere, à Senatu sententiam expectare.* In illo caſus, in hoc genus variatur: *Gratus Reipublicæ proventus, gratum vectigal, grata Civium concordia.* Numerus, ut: *Pulchritudo corporis minimùm facienda, nam pulchritudines animæ pulchritudinis tantùm specimen præseferre, sapientum omnium commune fuit effatum.* Cic. pro Arch. *Pleni sunt omnes libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas.* Et Verr. 7. *Certus locus, certa lex, certum Tribunal quo loco reservetur.* Et de Haruſp. *Tibi verò, si diligenter attenderis, intelliges hominum pœnas deesse adhuc, non Deorum. Homines te in re fœdissima defenderunt &c. hominibus &c.* Phil. 13. *Huic cedamus? hujus conditiones audiamus? cum hoc fieri pacem posse credamus?* Virg. 4. Æn.

Littora littoribus, contraria fluctibus undas
Imprecor; arma armis, pugnent ipsique nepotes.

Et 10. *Hæret pede pes, densusque viro vir.* Statius 8. Theb.

Jam clypeus clypeis, umbone repellitur umbo:

Ense

Ense minax ensis, pede pes, & cuspide cuspis.

Ovid. 3. de Arte.

Cedere jussit aquam, jussa recessit aqua.

Persius.

De nihilo nihil in nihilum nil posse reverti.

Joannes Picus eleganter.

Namque tua est nostris major clementia culpis:
Et dare non dignis, re mage digna Deo est.
Quamquam sat digni, si quos dignatur amare
Qui, quos non dignos invenit, ipse facit.

Luserunt per hanc figuram sæpe Poëtæ, variando idem nomen per omnes casus; ut videre est in hoc trito:

Cum vanitas sit vanitatis filia,
Et vanitati vanitatem procreet,
O vanitas! quid vanitate vanius!

VI. *Polysyndeton* πολυσύνδετον est cùm fit repetitio per frequentationem conjunctionum copulativarum, disjunctivarum, aliarumque; ut: *Et divitias, & honores, & nomen pro reipublicæ incolumitate posthabuit.* Cic. *Me præter cæteros, & colit, & observat, & diligit.* Et 1. Off. *Quod in Catullo, & in Patre, & in Filio, itemque in Quintil. Mutio vidimus.* Virg. Æn. 8.

Brontesque, Steropesque, & nudus membra Pyracmon.

Id. Georg. 3. *Tectumque, laremque*
Armaque Amycleumque canem, Cressamque pharetram.

Et alibi.

Drymoque Xantoque Ligeaque, Phillodoceque.

Ovid. 2. Fast.

Nec prece, nec pretio, nec movet ille minis.

Utimur hoc schemate, non solùm in vinctâ numeris, sed etiam in solutâ oratione.

Copu-

Copulativarum tamen conjunctionum iterationem liberius sibi adscivere Poëtæ; quod etiam si ab ipsis, ratione carminis, non venustatis gratiâ fiat, frigebit ultrà quàm dici queat.

VII. *Synonymia* συνωνυμία, seu *Interpretationem*, aut *communionem nominis* dicas cum Aquilâ, figura est, quâ plura verba idem significantia coacervamus; seu, ut habet Auctor ad Heren. *quæ non iterans idem redintegrat verbum; sed id commutat, quod positum est, alio verbo quod idem valeat; ut Rempublicam radicitus evertisti, civitatem funditus dejecisti.* Item. *Patrem nefariè verberasti, parenti manus sceleratè intulisti.* Cic. pro Syllâ. *Permitto aliquid iracundiæ tuæ, do adolescentiæ, cedo amicitiæ, tribuo parenti.* Phil.2. *Decepit, fefellit, induxit.* Et Catil. 2. *Tandem aliquando Catilinam furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriæ nefariè molientem, ex urbe vel ejecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem Urbe prosecuti sumus. Abiit, excessit, erupit, evasit.* Item Catil. 1. *Non feram, non patiar, non sinam.* Et in Pison. *Ego te non vecordem, non furiosum, non mente captum, non tragico illo Oreste, aut Athamante dementiorem putem, qui si ausus &c.* Virg.

Quid puer Ascanius? superatne, & vescitur aura.

Æthereâ? nec adhuc crudelibus occubat umbris.

Ubi data operâ rem pluribus idem importantibus exponit, ac si simpliciter dixisset *vivitne?* Et aliis in locis.

Per connubia nostra, per inceptos hymeneos.

Quoties humentibus umbris

Nox

Nox operit terras, quoties astra ignea surgunt.
Plaut. in Bacch.

Quicumque ubique sunt, qui fuere, quique futuri post hac
Stulti stolidi, fatui, bardi, blenni, bucrones.

Locum porrò habet hoc schema ad rei dignitatem magis, magisque demonstrandam; quòd unico verbo facere vix potuissemus. Si cum modo adhibeatur granditatem, vimque orationi donabit; secùs, si perperam profundatur onerabit, non ornabit.

VIII. *Gradatio*, sive *augmentum*, Græcè Climax κλίμαξ, fit cùm ab aliis ad alia velut per gradus itur; itaut proximum semper repetatur verbum: ut: *Nam, quæ reliqua spes manet libertatis, si illis & quod libet licet, & quod licet possunt, & quod possunt audent, & quod audent faciunt, & quod faciunt vobis molestum non est?* Item. *Africano industria virtutem, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit.* Tacit. histor. l. 4. *Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt.* Cic. pro Rosc. *In Urbe luxuries creatur: ex luxuria, existat avaritia necesse est: ex avaritia erumpit audacia: indè omnia scelera, atque maleficia gignuntur.* Id. ep. 23. 2. ad Att. Si *stas, ingredere; si ingrederis curre; si curris, advola.* Et Phil. 12. *Quid enim per Deos immortales potest Reipublicæ prodesse nostra Legatio? prodesse dico, quid si etiam obfutura est? obfutura dico, quid si etiam nocuit?* Apulejus 11. *Deus Deum magnorum potior, & majorum summus, & summorum maximus, & maximorum Regnator Osiris.*

Cele-

Celebris est Hugonis Gradatio, quam hìc rursum apponere non pigebit: *Cogitatio prava parit delectationem, delectatio consensum, consensus operationem, operatio continuationem, continuatio consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas cogit, sed non excusat.* Et Lactantii altera: *Idcirco mundus factus est, ut nascamur: ideo nascimur, ut factorem Mundi, ac Deum nostrum cognoscadus: ideo cognoscimus, ut colamus: ideo colimus, ut immortalitatem pro mercede laborum capiamus.* Ovid. 3. Fast.

Mars videt hanc, visamque cupit, potiturque cupitam.

Id. *Infelix sua viscera traxit,*
Tractaque calcavit, calcataque rupit.

Virg. Eclogâ 2.

Torva leæna lupum sequitur; lupus ipse capellam;
Florentem cytysum sequitur lasciva capella.

Claudian. l. 3. de laud. Stilic.

Sic Medus ademit
Assyrio; Medoque tulit moderamina Perses;
Subjecit Persen Macedo, cessurus & ipse
Romanis.

Habet exemplum quoque Homerus de Sceptro, quod ab Jove ad Agamemnonem usque deducit: & apud nostrum etiam Tragicum:

Jove propagatus est, ut perhibent Tantalus;
Ex Tantalo Pelops; ex Pelope autem satus
Atreus, qui nostrum porrò propagat genus.

Figura hæc est illustris inter eas, quę comptam reddunt orationem cum insigni evidentia, ut inquit Hermog. l. 1. c. 12. Sed cum apertiorem habeat artem, & magis atte-

affectatam; rarior in oratione debet esse: ut monet Quintil. l.9.c.3. atque ita usurpanda, ut non quæsita, & emendicata, sed ex ipsâ re nata esse videatur; quod facilè continget in Genealogiis texendis, in Magistratuum, regnorumque successionibus; ut si dixero: *Atheniensium potiti sunt Spartiatæ; Spartiatas superavere Thebani; Thebanos Macedones vicerunt, qui ad imperium Græciæ brevi tempore adjunxerunt Asiam bello subactam.* Bis tantùm Demosthenem hoc schema usurpâsse, quidam observant.

IX. *Incrementum*, Græcè *Auxesis* αὔξησις, fit quando verbum verba majoris semper energiæ subsequuntur; absque eo tamen quod vocem præcedentem repetat; per quod à Gradatione differt. Sit exemplum illud Cic 5. in Verrem: *Facinus est vincire civem Romanum; scelus verberare: parricidium necare: quid dicam in Crucem tollere?* Vides hic orationem crescere in verbis, *vincire, verberare, necare, in crucem tollere,* & vocem minoris energiæ excipi ab aliâ majoris; nam majus est *Parricidium scelere, scelus facinore.* Id. pro Quinct. *Miserum est exturbari fortunis omnibus, miserius est injuria: acerbum est ab aliquo circumveniri, acerbius est à propinquo: calamitosum est bonis everti, calamitosiùs cum dedecore: funestum à forti, atque honesto viro jugulari; funestius ab eo, cujus vox præconio quæstu prostitit. Indignum est à pari vinci, aut superiore; indignius est ab inferiore: luctuosum est tradi cum bonis, luctuosius inimico.* Est & aliud exemplum apud Cic. Phil. 2. de vomitu

Anto-

Antonii. *O rem non visu modo fœdam, sed etiam auditu! Si inter cœnam in tuis immanibus illis populis, hoc tibi accidisset; quis non turpe diceret? In cœtu verò populi Romani negotium publicum gerens, Magister equitum, cui ructare turpe esset, is frustis esculentis vinum redolentibus, gremium suum, & totum tribunal implevit.* Hic singulæ voces incrementum habent: etenim per se deforme fuerat, vel non in cœtu vomere; in cœtu etiam non populi; etiam non Romani; vel si nullum negotium gereret; vel si non Magister equitum. Id. pro Rosc. *Eo prorupturam esse audaciam, ut non clam, verùm etiam hic in foro, ante tribunal tuum, M. Fauni, ante pedes vestros, Judices, inter ipsa subsellia cædes futuræ sint.* Advertendum, quod Gradatio, atque Incrementum copulari aliquando poterunt; ut patet ex hoc Tullii pro Mil. *Nec verò se populo solùm sed Senatui commisit; nec Senatui modò, sed etiam publicis præsidiis, & armis; neque his tantùm, sed ejus potestati, cui Senatus totam Rempublicam commisit.*

Aliqui Auxesin ab Incremento distinguunt; voluntque, eam fieri, cùm amplificandæ rei causâ verbum gravius subjicitur loco proprii; ut cùm leve erratum dicitur scelus, ingratum, impium &c. Verùm hæc divisio melioribus supervacanea creditur. Et hæc de figuris Verborum quæ Additamento fiunt. nunc sit

De Figuris Verborum, quae per Detractionem fiunt. Cap. III.

I. Ex Figuris Verborum quæ per defectum fiunt, potiores enumerantur, Intellectio, Adjectio, Disjunctio, & Dissolutio. *Intellectio* Græcè *Synecdoche* συνεκδοχή, fit quando subtrahitur orationi quod facilè intelligitur: ut: *Ille, audito de Patris nuncio, exclamare, vestes scindere, comam divellere*. Subtractum verbum *cœpit* facilè intelligitur. Cic. ad Brut. *Sermo nullus, nisi de te*, scilicet *habetur*. Id. ad Att. l. 2. 9. *Epistolam cùm à te avidè expectarem, ecce tibi nuncius*, supple *venit*. Lucanus l. 1.

Quis furor, ò Cives? quæ tanta licentia ferri?
supple *est*.

Virg. Æn. 1.

Sed vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris?

Et aliis in locis.

Hæc secum. Et. *Quin age, si quid habes*.

Exemplis longiùs non immoror, quia hæc facilè legenti occurrent, & in Grammaticis quamplurima tradi solent, ubi de Ellipsi.

II. *Adjunctio*, seu ut habet Aquila *Injunctum*, Græcè *Antizeugmenon* ἀντιζευγμένον est cùm ad unum idemque verbum plura referuntur commata vel incisa. Hoc autem verbum si fuerit in principio commatis vel incisi dicitur *Protozeugma* πρωτόζευγμα, si in medio *Mesozeugma* μεσόζευγμα, si in fine *Hypozeugma* ὑπόζευγμα.

γμα. Exemplum primæ erit. *Deflor ſcit formæ dignitas, aut morbo, aut vetuſtate.* Secundæ. *Formæ dignitas defloreſcit aut morbo aut vetuſtate.* Tertiæ. *Aut morbo aut vetuſtate formæ dignitas defloreſcit.* Cic. *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.* Id. pro Cluen. *Ea flagrat cupiditate, ut illam nec pudor ab infamia, nec pudicitia à ſtupri fœditate, nec pietas à ſcelere, nec generis, ac familiæ macula à libidinum turpitudine avocare queat.*

Virg. 3. Æneid.

Trojugena interpres Divum, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui ſydera ſentis.

Idem.

Ardet abire fuga, dulceſque relinquere terras.

Item.

Ire iterum in lacrymas, iterum tentare precando
Cogitur, & ſupplex animos ſubmittere amori.

Et *Quantùm vertice ad auras*
Ætheras; [q]antùm radice ad tartara tendit.

III. *Diſjunctio*, Græcè *Diazeugmenon* διαζεύγμενον, eſt ſecundùm Auct. ad Heren. *cùm eorum, de quibus dicimus, aut utrumque, aut unumquodque certo concluditur verbo*; hoc eſt, quando ſinguli ſenſus clauduntur ſuo verbo, ut: *Populus Romanus Numantiam delevit, Carthaginem ſuſtulit, Corinthum diſjecit, Fregellas evertit. Nihil Numantinis vires corporis auxiliatæ ſunt; nihil Carthaginenſibus ſcientia rei militaris adjumento fuit; nihil Fregellanis morum, & ſermonis ſocietas opitulata eſt.* Cic. pro Archiâ. *Homerum Colophonii Civem eſſe dicunt ſuum; Chii ſuum*

vindicant; Salamini repetunt; Smyrnæi verò suum esse affirmant. Martial.

Dat populus, dat gratus eques, dat jura Senatus. Ovid.

Poma dat Autumnus: formosa est messibus æstas:
Ver præbet flores: igne levatur hyems.

Virg. *Ejectum littore egentem*
Excepi, & regni demens in parte locavi.

IV. *Dissolutio*, sive *Inconnexio* Græcè *Asyndeton* ἀσύνδετον, Dialyton διάλυτον, & διάλυσις, est cùm demptis conjunctionibus, plura ponuntur commata, vel membra; seu cum Auct. ad Heren. *est, quæ conjunctionibus verborum è medio sublatis, partibus separatis effertur*, ut: Legibus obtempera; obsequere Patribus; Majores natu venerare; Religioni debitum cultum præsta, &c. Cic. pro Mar. *Constituenda judicia; revocanda fides; comprimendæ libidines; propaganda soboles &c.* Id. pro Arch. *Hæc studia adolescentiam alunt; senectutem oblectant; secundas res ornant; adversis perfugium, ac solatium præbent; delectant domi; non impediunt foris; pernoctant nobiscum; peregrinantur, rusticantur*. Et pro Mil. *Vastarat* (Clodius) *Hetruriam; multos sedibus, fortunis ejecerat: instabat, urgebat: capere ejus amentiam Civitas, Italia, provinciæ, regna non poterant*. Virg. 4. Æn.

Ferte citi ferrum, date vela, impellite remos.

Et alibi. *Nos æra, manus, navalia demus*. Et
Terram, mare, sydera juro.

Martial. l. 2.

Frange toros, pete vina, rosas cape, tingere Nardo,

Terent. Adelph. 3. 2.

Tot

Tot res repente circumvallant, unde emergi non potest;
Vis, egestas, injustitia solitudo, infamia.
Valet hæc figura ad celeritatem, atque ad impetum exprimendum, apta ut ait Fabius l. 9. c. 3. *cum quid instantius dicimus; nam & singula inculcantur, & quasi plura fiunt.* Præterea in vitiis, aut virtutibus enumerandis; ut vides in hoc Cic. Ver. ultimâ. *Hujus furta, rapinas, crudelitatem, superbiam, scelus, audaciam, rerum gestarum magnitudine, atque imperatoriis laudibus tegere conaris.*

De Figuris Verborum, quae per similitudinem fiunt.
Cap. IV.

I. Ex schematibus, quæ per similitudinem fieri dicuntur, sunt *Annominatio, similiter cadens, similiter desinens, Compar, Contrapositum, Commutatio.*

Annominatio, seu *Agnominatio* Græcè *Paronomasia* παρονομασία, *Paragramma* παράγραμμα, est cùm in oratione iteratur dictio, sed commutatâ literâ vel syllabâ in significationem diversam. Pluribus autem modis fieri potest.

1. *Adjectione*, ut. *Hic sibi posset temperare, nisi amori mallet obtemperare: Ista non solum rata, sed & grata mihi erunt.* Cic. pro Cluent. *Vestri auxilii est, Judices, hujus innocentiæ, sic in calamitosa fama, quasi in aliqua perniciosa flamma, atque in communi incendio subvenire.* Terent. Heaut.
Tibi parata erunt verba, huic verbera.

Virg. *Lybicis teris otia terris.*

2. *Detractione*, ut: *Si lenones, tamquam leones vitasset, honestæ vitæ se tradidisset. Veniit antequam Romam venit.* Cic. pro Mur. *Tu, Sulpiti, actionem instituis, ille aciem instruit.* Claudian. de Sene Veronensi.

Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

Item.

Vos ego lenones dicam, dicamne leones?
Sic leno Andromedas, sic leo mactat oves.

3. *Commutatione*, ut. *Videte, Judices, utrùm in adversis timidi in secundis tumidi sitis futuri. Deligere oportet quem cupis diligere. Plerique magis amant præesse, quàm prodesse.* Cic. Cat. 1. *Qui de hujus Urbis, atque adeo Orbis exitio cogitent.* Et Phil. 2. *En cur magister ejus ex oratore arator factus est.* Livius 22. *Itaque Plebiscitum, quo magis oneratus, quàm honora us sum, primus antiquo, abrogoque.* Florus 3. 17. *Nisi quis aut cœnum, aut cœlum dividere vellet.* His sunt affinia. *In quo motu, in quo metu; serò, sed seriò; In stadio, & studio virtutis; petiisti simul & & periisti; confisis, & confusis; affectu magis quàm effectu &c.* Plautus Cistell.

Amor melle, & felle est fœcundissimus.

Idem.

Amens, amansque, ut ut animum obfirmo meum. Virg. Æneid. 1.

Haud aliter puppesque tuæ, pubesque tuorum.

Auson. ep. 30.

Nata salo, suscepta solo, patre edita cœlo.

4. *Translatione*, ut: *Nescio, an homini navo, an vano fidem præstiterim. Nolo esse laudator, ne videar adulator. Hæc non crudelitas, sed credulitas est.* Cic. ad Att. lib. 1.

ep.

ep. 10. *Consul ipse parvo animo, & pravo.* Huc pertinet cujusdam distichon:

De vitiis quod divitiæ accumulantur, apertum est:
Nomen idem vitiis, divitiisque datum.

Hoc quoque meum tetrastichon.

Cur vitium placeat: vitio cur tempora donem,
Quæris? de vitiis sunt mihi divitiæ.
Ah miserrimum! male parta patent in Tartara portæ.
Dis habet æterna perdere pauperie.

Hanc figuram agnovit sanè Cicero, cùm 2. de Orat. dixerit; *Alterum genus est, quod habet parvam verbi immutationem, quod in litera positum Græci vocant Paronomasiam.* Verùm pueri, Oratoresque ne nimium sibi familiarem faciant; ni velint in vilitates, puerilitatesque prolabi. Imò consultiùs erit eam prorsus negligere, ac poëtis usurpandam relinquere; ut quæ ad jocos magis apta. Huic sententiæ subscribit Fabius, ubi hæc l. 9. protulit. *Aliter quoque voces, aut eadem, aut diversa significatione ponuntur; aut productione tantùm, aut correptione mutatæ: quod etiam in jocis frigidum: equidem tradi inter præcepta miror, eorumque exempla, vitandi potiùs, quàm imitandi gratia pono.* Usurpari nullatenus cum venustate hanc figuram affirmat, quando distinguenda rei proprietas est; ut in hoc Cic. Cat. 1. *Hanc Reipublicæ pestem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse.* Et cùm præpositionibus quædam in contrarium mutatur, ut ibidem: *non emissus in urbe, sed immissus in urbem esse videbatur.* Huic schemati affinis est Anta-

naclasis ἀντανάκλασις, seu *Ploce* πλοκή, quam aliqui Latinè *Allusionem* dixere ; & fit quando idem plane verbum repetitur, diversâ tamen significatione, ut : *Jucundum est amari, si curetur ne quid sit amari. Ludovicus est verè Ludovicus*. idest arx populi sui. Sallust. *Sed tamen ad illam diem Memmius erat Memmius.* Ubi primùm ponitur pro nomine personæ, secundò vult intelligi qui semper fuerit, ac sui similem. D. Bernard. *Non diligamus mundum, in quo nihil est mundum.* Plaut. in Mil. glor.

Oculorum perstringit aciem in acie hostibus.

Et in hoc.

Quis neget Æneæ magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille Patrem.

ubi sustollere duo significat : de medio tollere, & in humeros tollere. Figuram id genus *Antistasin* vocat Rufinianus, ἀντίστασιν.

II. *Similiter cadens* Græcè Homœoptoton ὁμοιόπτωτον, *Paromœosis* παρόμοιωσις Aristoteli 3. Rhet. fit cùm duo, aut plura commata in eundem casuum sonum terminantur. Ubi casuum nomine, etiam verborum tempora, quæ instar casuum sunt in Conjugationibus, intellige ; ut : *Hominem laudas virtute præstantem, senectute laborantem &c.* Cic. pro Rosc. *Quid tam commune quàm Spiritus vivis terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis?* Id. pro Lege Man. *Quanta innocentia debent esse Imperatores, quanta deinde in rebus omnibus temperantia, quanta fide, quanta felicitate, quanto ingenio.* Id. *Hunc ergo non admirer? non diligam? non omni ratione defendendum putem.*

putem? Et rursum pro Rosc. *Domus obsessa, ab inimicis bona adempta, possessio direpta, filii vita infesta, sæpe ferro &c.* Exemplum esse poterit in illis Adriani Cæsaris versibus:

Animula, vagula, blandula
Hospes, comesque corporis,
Quæ nunc abibis in loca
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, ut soles, dabis jocos.

Virg. Eclogâ 8.

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.

Et Æneid. 2.

Occiderit ferro Priamus, Troja arserit igni
Dardanium toties sudarit sanguine littus.

Et 4.

Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lacrymas victus dedit dedit, aut miseratus amantem est?

Similiter cadentia, inquit Carbon. lib. 1. de elocut. cap. 18. ut orationem ornant si temperatè dictiones concinnentur; ita deformant si nimiùm frequententur.

III. *Similiter desinens* Græcè *Homœateleuton* ὁμοιοτέλευτον, est, cùm plures sententiæ eodem modo finiuntur; seu ex Auct. ad Heren. *cùm tametsi casus non insunt in verbis, tamen similes exitus sunt*, ut: *vivis invidiosè, delinquis studiosè, loqueris odiesè.* Cic. l. 12. ep. 1. *Fabulæ finguntur; immunitates dantur, pecuniæ describuntur; Sen. Consul. falsa referuntur.* Id. pro Mar. *Verùm, animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare &c.* Id. pro L. Man. *Tam felix Imperator est, ut ejus semper voluntatibus*

non modò cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti, tempestatesque obsecundarint. Virg. 2, Æn.

Deseruere omnes defessi; & corpora saltu
Ad terram misere, aut ignibus ægra dedere.

ibidem.

Nec prius amissam respexi, animumque reflexi. Et

Sylvarum, fruticumque viret, nemorumque sacrorum.

Hæc figura, quod & de priori dictum volo, parcius adhibeatur oportet: ex simili enim cadentia vocum fiet, ut fastidium pariant. Fient tamen ornatiores, auribusque ipsis gratiores, si aliis schematibus admisceantur.

IV. *Compar*, Græcè *Isocolon* ἰσόκωλον, fiet, quando incisa, vel membra pari, aut ferè pari numero syllabarum constabunt, ut: *In prælio mortem pater opperebat: domi filius nuptias comparabat. Multum desiderare egentis est signum; & nihil parcere egestatis est initium*. Cic. pro Syllâ. *Consilio investigasset, virtute aperuisset; magnitudine animi vindicasset*. Et pro Mar. *Ex quo profectò intelligis, quanta in dato beneficio sit laus; cum in accepto tanta sit gloria*. Idem pro L. Man. *Tantum bellum, tam diuturnum, tam longè latèque dispersum, Cn. Pompejus extrema hyeme apparavit; ineunte vere suscepit; media æstate confecit*. Ovid. de Minot.

Semibovemque virum, semivirumque bovem.

Quem imitatus Petrus Franciscus Minottius, Venetos appellavit

Semideosque homines, semivirosque Deos.

Virg. Æneid. 8.

Aude hoſpes contemnere opes; & te quoque dignum
Finge Deo; rebuſque veni non aſper egenis.
Et *Nunc viribus uſus;*
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magiſtra.

Advertendum, quod in hoc genere ſæpè fieri poteſt, ut non planè par ſit numerus ſyllabarum, & tamen eſſe videatur, ſi unâ aut etiam alterâ ſyllaba eſt alterum brevius; aut ſi cùm in altero plures ſunt, in altero longior aut longiores, plenior aut pleniores ſyllabæ erunt; ut longitudo, aut plenitudo harum, multitudinem alterius aſſequatur, & exæquet. Ne nimium tamen ſtudioſi ſint Adoleſcentes in uſu hujus, ac ſimilium ſchematum; quia gratiam amittunt, niſi dexterè collocentur in oratione, atque ita, ut artificium lateat.

V. *Contrapoſitum* Græcè Antitheton, ἀντίθετον, fit quando vocabula vocabulis per contrarium opponuntur, ut: *hic regnat pudor, illic audacia; hìc pietas, illic ſcelus; hìc liberalitas, illic avaritia. Cum opus eſt ſilentio, clamitas; cum animo, paves; cum prudentia, deſipere crederis.* Cic. Catil. 2. *Hoc verò quis ferre poſſit? inertes viros fortiſſimis viris inſidiari; ſtultiſſimos perditiſſimis, ebrios ſobriis, dormientes vigilantibus.* Vocatur præterea Contrapoſitum, quando tantùm verba verbis opponuntur, etiamſi non ſint contraria ſibi. Cic. pro Mil. *Eſt enim non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus; ad quam non docti, ſed facti; non inſtituti, ſed*

nati sumus. Virg. Ænead. l. 1.
Miratur molem Æneas, Mapalia quondam.
Item l. 9.
Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen
Frigidus.
Et 8. *Et Capitolia ducit*
Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis.
Plura dabimus inferiùs in figuris sententiarum. Hæc enim, uti & aliæ plures ex prædictis, tum verbo, tum sententiâ absolvi possunt.

VI. *Commutatio*, Græcè *Diallelon* διαλληλον, *Chiaston* χιαστὸν, est quando eadem verba in sensum diversum commutantur, ut, si dixero; *Non ut edam, vivo; sed, ut vivam, edo. Si poëma loquens pictura est, pictura tacitum poëma esse debet.* Seu etiam absolvetur simplici reciprocatione, ut: *Doctorum sanctissimus, & Sanctorum doctissimus. Inter pueros senex, inter senes puer. Justis fortior, fortibus justior.* Plaut. in Apoph. *Non possidet pecuniam qui pecuniæ servit; sed is cui servit pecunia.* Auct. ad Heren. *Quia stultus es, ea re taces: non tamen quia taces ea re stultus es.* Id. *Quæ de illo dicuntur dici non possunt, quæ dici possunt non dicuntur.* Ausonius Epitaph. 30.
Infelix Dido nulli bene nupta marito:
Hoc pereunte fugit; hoc fugiente peris.
Et alter.
Eripis ut perdas: perdis ut eripias.
Hoc schema à Rufiniano, & Sulpitio *Metathesis* μεταθεσις; à Scholiaste Aristidis in Panathen. διαγώνιον *Diagonion*; à Fabio denique l. 9. c. 3. *Antimetabole* ἀντιμεταβολή.

Et hæc de Figuris quæ in verbis dicta sufficiant; nunc agendum

De Figuris Sententiarum, ac primum de Apostrophe, et Antithesi. *Cap. V.*

I. IN Sententiarum schematibus totam Oratorum vim ad delectandum, docendum, movendumque positam esse, neminem præterit. Hæ siquidem velut quædam lumina & ornamenta, sermonem è cœno tollunt, & majestate donant incredibili: quodque languidiùs jacuisset atque emortuum, horum usu vitam spiritumque adipisci compertum est. In illis omnis virtus posita; amplificatio nusquam melius apparet, quàm figuratis hisce modis vestita; Auditorum animi nusquam gravius percelluntur, quàm ubi Oratio hisce exornationibus scatuerit. Æquum igitur fuerit si in his vel longius immoremur, sique exempla plura congeramus. Definiri autem solet Figura Verborum, *exornatio orationis à communi ratione dicendi remota, quæ non in verbis, sed in rebus ipsis dignitatem suam positam habet.* Ex qua elucet, unam eandemque figuram spectare posse ad duplicem classem, prout scilicet, aut verbis aut sententiâ absolvetur. Rhetores in plures classes inde hæc schemata sunt partiti, secundùm quas, studiosis etiam proponere solent. Nos hìc facilitati, quæ ex ordine promanare plurimùm solet, inservientes, ordine alphabetico eas exhibemus, contenti indicasse munia, quibus singula nata sunt obeundis. II. Apo-

II. Apostrophe primò occurrit *ἀποστροφή*, quam Latini *Inversionem*, seu *Aversionem*, figura est, quâ *sermonem ab iis quibuscum loquimur, avertimus ad aliam personam*, v. g. ad Deum, ad absentes, ad res inanimes: hinc est quod hujus schematis tres fecerint modos; unum, quo ad homines, alterum quo ad personam Divinam, tertium quo ad sensu carentia convertimur.

1. Ad homines est Conversio Tullii pro Ligar. *Quid enim tuus ille, Tubero, districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?* Hic ad Cæsarem erat sermo, & ad Tuberonem se convertit. Id. Verr. 6. *Repeto abs te, Verres, monumentum P. Africani; causam Siculorum quàm suscepi relinquo &c.* Et pro Mil. *Vos vos appello fortissimi viri, qui multum pro patria sanguinem effudistis.* Item 2. Tusc. 2. *Quid me decipis, Zeno? nam cùm ad id quòd mihi horribile videtur &c.* Pro Domo suâ, ubi alloquitur Clodium. *Ac primùm illud à te homine vesano &c.* Et Philip. 14. *Vos verò Patriæ natos judico, quorum etiam nomen à Marte est, ut idem Deus Urbem hanc gentibus, vos huic Urbi genuisse videatur.* Virg. 4. Æneid.

Quis tibi tunc, Dido, cernenti talia sensus?
Quosve dabas gemitus, cùm littora fervere latè
Prospiceres arce ex summa, totumque videres
Miscere ante oculos tantis clamoribus æquor?

Et lib. 3.

Fortunati ambo siquid mea carmina possunt
Nulla dies memori unquam vos eximet ævo,
Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum
Avolet &c.

Ovid. Metamorph.

Ego te, miserande, peremi
In loca plena metus, qui jussi nocte venires
Nec prior huc veni: nostrum divellite corpus;
Et scelerata fero consumite viscera morsu,
O quicumque sub hac habitatis rupe leones.
Sed timidi est optare necem.

2. Ad Deos ut plurimum conversiones fiunt à Poëtis initio carminum. Sic Ovid. Metamorphoseon.

In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora: Dj cœptis, nam vos mutastis & illas &c.

Claudian. de Raptu Prof. l. 1.

Dii, quibus innumerum vacui famulantur Averni
Vulgus iners; opibus quorum donatur avaris
Vos mihi sacrarum penetralia pandite rerum,
Et vestri secreta Poli.

Virg. Æn. 1.

Musa mihi causas memora, quo numine læso,
Quidve dolens Regina Deum, tot volvere casus
Insignem pietate virum tot adire labores
Impulerit.

Sunt tamen & exempla apud Oratores, imò & Historicos; nam Cic. pro Domo suâ inquit. *O Dii immortales! vos enim hæc audire cupio: impius hic vestra sacra curat? vestrum numen horret? non illudit auctoritati omnium?* Et pro Cælio. *Proh Dii immortales &c.*

3. Ad res inanimes sensuque carentes; Cic.

Cic. pro Mil. *Vos Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, imploro & obtestor; vosque obrutæ aræ, quas ille substructionum insanis molibus oppressit, tunc vestræ Religiones viguerunt, vestra vis valuit.* Et pro Balbo. *Vos denique mutæ regiones imploro; vos sola terrarum ultimarum; vos maria, portus, insulæ, littoraque.* Et. *O leges Portiæ, legesque Semproniæ &c.* Virgil.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames? Et lib. 8.
Haud procul inde citæ Metium in diversa quadrigæ
Distulerant. At tu dictis, Albane, maneres.
Martial. *Ubi mors non est, sic jugulatis, aquæ?*
Horat. *O fons Blandusiæ splendidior vitro*
Dulci digne mero.

Sunt & in sacris hujus figuræ exempla; ac præsertim Psal. 111. *Quid est tibi mare quod fugisti, & tu Jordanis quia conversus es retrorsum? Attollite portas, Principes, vestras & elevamini portæ æternales &c.* Hierem. 2. *Obstupescite cæli super hoc &c.* Isaias. *Rorate Cæli desuper &c.* Confert hoc schema, ut de usu aliquid dicamus, ad omnes affectus ciendos: increpat, urget, cohortatur, commendat, commiseratur, monet, vituperat, omnemque habet in oratione vim; si cum aliis dicendi luminibus adhibeatur, ut testatur Scaliger Poet. 3. cap. 2. ubi hęc habet: *Est in Apostraphe & interrogatione tanta efficacia, ut subsilire faciat animum Auditoris, quæ ubi conjunctæ sunt, nihil deest ad summam vim.* Cavendum tamen ne immodicè, passimque frequentemus, ac sine delectu verborum aut sententiarum; tunc enim

enim dubio procul jacebit, & quidquid habuiſſet virium deperdet. Advertendum inſuper ad inanimes res non adeo frequenter ſermonem converti ab Oratoribus ut à Poëtis, qui potiſſimùm ubi gaudium exprimere intendunt, hoc facere conſueverunt. Fabius in eâ fuit ſententiâ, figuram hanc non habere locum in Orationis principio; habere tamen evincunt plura Ciceronis exempla, ac præcipuè Catilinaria prima.

III. Antitheſis, ἀντίθεσις, quam *Contrapoſitum* latinè vocat Quintilianus, *eſt ſit cum contrariis opponuntur contraria*. Pluribus autem fit modis.

1. Cum plura præmittimus ſimilia, quibus inde contraria pari numero reſpondent, ut: *Fortitudinem, temperantiam, æquitatem, juſtitiam, virtuteſq; omnes, cum ignavia, luxu, iniquitate, injuſtitia, vitiiſq; omnibus, ſummo totius Urbis dolore commutavit.* Sen. de vit. Beat. c. 7. *Altum quiddam eſt virtus, excelſum, regale, invictum, inveſtigabile: Voluptas, humile, ſervile, imbecillum, caducum, cujus ſtatio ac domicilium fornices, ac propriæ ſunt. Virtutem in templo invenies, in foro in curia pro muris ſtantem, pulverulentam, coloratam, calloſas habentem manus. Voluptatem latitantem ſæpius, ac tenebras captantem circa balnea & ſudatoria, & loca ædilem metuentia, mollem, enervem, mero, atq; unguentis madentem, ſquallidam, fucatam.*

2. Fit nullâ caſuum connexione, ſed continuâ geminorum oppoſitione per amphoram, & inciſa. Cic. Catil. 2. *Ex hac enim parte pugnat pudor, illinc petulantia:*

tia : hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus : hinc honestas, illinc turpitudo; denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus. Postremò copiæ cum egestate, bona ratio cum perdita, mens sana cum amentia, bona denique spes cum omnium rerum desperatione confligit. D. Hieronymus diversum exitum viarum ad æternitatem proponens ep. 14. ad Celan. *Vide quanta sit inter has vias separatio, quantumque discrimen. Illa ad mortem, hæc tendit ad vitam: illa celebratur, & teritur à multis, hæc vix invenitur à paucis. Illa enim vitiis per consuetudinem quasi declivior & mollior, & velut quibusdam amœna floribus voluptatum facilè ad se rapit commeantium multitudinem; hæc verò insueto calle virtutum tristior, atque horridior ab his tantùm eligitur, quibus non tam delectatio itineris cordi est, quàm utilitas mansionis:*

3. Tertius modus negationibus resultat. Cic. pro L. Manil. *Cujus adolescentia ad scientiam rei militaris, non alienis præceptis, sed suis imperiis; non offensionibus belli, sed victoriis; non stipendiis, sed triumphis est traducta.* Valet hæc ratio plurimùm ad amplificandum.

4. Cum multa multis & ea contraria constanti ordine interjecta per Polyptoton ponuntur, ut in hoc Himerii adversus Epicurum : *Quomodo autem congruit voluptas laboribus; patientia deliciis; academia meretricibus; philosophia popinis; temperantia impuris adolescentibus?* Cic. Catil. 2.

Hoc

Hoc verò quis ferre possit inertes viros fortissimis insidiari, stultissimos prudentissimis, ebrios sobriis, dormientes vigilantibus?

Hoc schema, inquit Carbon l. 1. Orat. Elocut. *Mirum in modum orationem illustrat, variat, amplificat, remque demonstrat. Oratorem commendat & adversarium urget, ac proinde frequenter ab Oratoribus usurpatur.* Cum enim ex concordiâ, & discordiâ per rerum nascentium & pereuntium vicissitudines stet universum, ex antiphthongis musices venustas, ex diversis coloribus resultat in picturâ ornatus; ita ex hac contrariorum, aut quasi contrariorum oppositione, mirum in modum capiuntur aures; quare justâ sane de causâ Antithesis doctæ figuræ nomen olim sortita est.

Crimina rasis
Librat in Antithetis, doctas posuisse figuras
Laudatur.

Curandum ne in motibus, atque argumentorum fortiori contentione, anthitheta artem ostentent; sed artificium potiùs celabunt; neque religiosâ membrorum distinctione apparebunt; sed per congeriem potiùs prolata miscebuntur.

IV. Proxima Antithesi est *Oxymoron* ὀξύμορον figura, quam *Contentionem* vocat Cicero: differt tamen aliquâ ex parte; nam Antithesis potest fieri ex diversis; Oxymoron ex contrariis perpetuò resultat, magisque ad Hyperbolen accedit. ut si dixero. *Festina lentè, innupta nuptiæ, concordia discors, impia pietas &c.* Horat. l. 3. od. 16. *Magnas inter opes inops.* Ovidius. *Impietate pia es.* Catullus. *Funera non funera.*

ra. Senec. Tragic. *Vicimus victi: morti dominus pertimuit mori. Timet timentes: metus in auctorem redit.* Cic. Phil. 13. *Deinde obsecro vos P.C. quis hoc vestrum non videt, quod fortuna ipsa, quæ cœca dicitur videt?* Et pro Mar. *Ipsam victoriam vicisse videris, cum ea quæ illa erat adepta, victis remisisti* Et lib. de Amic. *Quocirca absentes adsunt (scil. Amici) & egentes abundant, & imbecilli valent, & quod difficiliùs est, mortui vivunt.* Horat. l. 1. epist. 11. *Strenua non exercet inertia.*

Et l. 1. od. 34.

Insanientis dum sapientiæ consultus erro.

Terent. Andr. *In aliquid nihil est.* In Eunuc. *Tu, pol, si sapis, quod scis, nescias.* Ibid. *Ut cum ratione insanias.* Ovid. 11. Met.

Injustaque justa peregit.

Et 7. Metamorph.

His ut quæq;pia est, hortatibus impia prima est,
Et ne sit scelerata, facit scelus.

Et 1. *Tu non inventa reperta es.*

Hujus generis figuræ usitatissimæ apud Poëtas, in clausulis Epigrammatum maximè adhibuere; unde illud

Cùm facias versus nulla non luce ducentos;
Verè nihil recitas; non sapis atque sapis.

Item.

Frigida es & nigra es: non es, & es Chione.

Et illud Poetæ ad Nepotem:

Chare Nepos, mores si vis tractare Nepotum;
Incipis esse Nepos, desinis esse Nepos.

Nepos fratris, aut sororis filius, & *Nepos* dissipator.

Plura quæ hujus loci essent, dedimus superiùs, ubi de Ænigmate actum est; quare non est cur hìc denuo actum agamus.

V. Sy-

V. Synæceiosis συνοικείωσις, seu *Commixtio* species Antithesis. Hanc *Cinnum* vocat Scaliger Poëtices l. 3. c. 46. fitque cùm duæ res contrariæ eidem supposito attribuuntur: ut si dicam: *Tam deest Avaro quod habet, quàm quod non habet. Labor est etiam ipsa voluptas.* Liv. 3. 7. *Cùm eo nimirum hoste res est, qui nec bonam, nec malam fortunam ferre potest. seu vicit; ferociter instat victis: seu victus est; cum victoribus instaurat certamen.* Martial. l. 12. epig. 40.

Difficilis facilis, jucundus acerbus es idem.
Nec tecum possum vivere, nec sine te.

Hoc schema, ut ait Gorgias, magnam vim habet, vel ex laude vitium, vel ex vitio laudem exprimendi.

De Communicatione, Concessione, et Correctione. *Cap. VI.*

I. A*Nacœnosin* ἀνακοίνωσιν Græci dixere quam Latini *Communicationem*; estque figura, quâ causæ nostræ confisi, aut ipsos adversarios consulimus, aut cùm Judicibus deliberamus. Cic. pro Rabir. *Tu denique, Labiene, quid faceres in tali re, ac tempore? cùm ignaviæ ratio te in fugam, atque in latebras impelleret: improbitas & furor L. Saturnini in Capitolium arcesseret: Consules ad patriæ salutem, ad libertatem vocarent: quam tandem auctoritatem, quam vocem, cujus imperio parere potissimum velles?* Id. pro Quinct. *Quid est (Judices) quod hac tandem in re vobis possit videri? Profecto si recte vestram bonitatem, atque prudentiam agnovi; non multum me fallit si consulamini quid sitis*

rei-

responsuri. Et pro Sextio. *Si rectè vestram bonitatem, atque prudentiam agnovi; non multum me fallit, si conq. R. S. primum expectari Cato. Si vos in eo loco essetis, quid aliud faceretis?* Item pro Quinct. *Quæro abs te C. Aquili, L. Luculle, P. Quintili, M. Marcelle, vadimonium mihi non obiit quidam Socius &c.*
Virg. 12. Æneid.

Fuit & tibi talis
Anchises genitor, Danum miserere senectæ.

Et Eclog. 7.

Quid facerem? neque ego Alcippen, nec Phyllida habebam.
Depulsos à lacte domi quæ clauderet agnos.

Et Æneid. 9:

Quid faciat? qua vi juvenum, quibus audeat armis
Eripere? An sese medios moriturus in hostes
Inferat; & pulchram properet per vulnera mortem?

Et 4.

Sed quis erit modus? aut quo nunc certamine tanto?
Quin potius pacem æternam pactosque hymenæos
Exercemus? &c.

Hæc figura maximam vim habet ad urgendum, objurgandum, & ad confessionem ipsam extorquendam, ad animos movendos, cùm videamur in ipsis Judicibus spem nostram & jura in ipsorum æquitate collocare. Valet itidem ad fidem faciendam: sive nos à crimine purgare intendamus, sive consilium probare. Commiserationem excitabit, cùm alienam calamitatem, cujus sensum imprimit Orator, transferat quo-

quodammodo in ipsos Auditores, ac veluti propriam efficiat.

II. *Concessio*, quæ *Epitrope* ἐπιτροπή, & *Synchoresis* συνχώρησις Græcè dicta, à *Permissione* distingui solet à multis, quos inter Fabius, quem sequimur. Est autem Concessio, cùm *dictum aliquod, aut argumentum condonatur*, ut: *Sit perjurus, sit vecors, sit ad munia exercenda atque obeunda ineptus, sit ære alieno gravatus; attamen Patriæ, ac Incrementi Reipublicæ amans est.* Cic. ad Varr. *Sit sacrilegus, sit fur, sit flagitiorum omnium, vitiorumque princeps; at est bonus Imperator.* Et pro Lig. *Habes igitur, Tubero, quod est accusatori maximè optandum, confitentem reum; sed tamen hoc ita confitentem, se in ea parte fuisse, qua te, Tubero, qua virum omni laude dignum patrem tuum.* Hyperides. *Sed ego jam, Judices, summum ac legitimum quod exposui, meæ causæ jus omitto: vobis quod æquissimum videatur, ut constituatis, permitto. Non enim vereor, quod etiamsi novum vobis instituendum, libenter id quod postulo, propter utilitatem communis consuetudinis sequamini.* Virg. Æn. 7.

Non dabit Regnis, esto, prohibere Latinis;
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus.

III. *Permissio* est cùm *aliquid Judicibus, aut Adversariis æstimandum relinquimus, & statuendi facultatem largimur*; vel, vt Trapezuntius vult, Permissio est, cùm *dicendo ostendimus nos rem aliquam potestati alterius concedere*; alii denum volunt Permissionem esse *in factis*, Concessionem *in dictis*. Quiquid sit, hæc erunt

erunt pro exemplis. Cic. de Prou. Consul. *Sed fruatur sanè hoc solatio; atque hanc insignem ignominiam, quoniam uni præter se inusta est, putet esse leviorem.* Ibid. *Lateant libidines ejus tenebricosæ, quas fronte, & supercilio, non pudore, & temperantia contegebat.* Et Ver. 7. *Perfrica frontem, & dic te digniorem qui consul fieres, quàm Catonem.* Et Ver. 5. *Verùm hoc quoque vobis remitto, negligite præterita si vultis; sed ne reliquas spes turbetis, atque omnes provincias evertatis.* Iterum 7. *Jam ipsis Judicibus permittam sine mea argumentatione conjecturam facere, quod hoc genus precandi, quàm improbum &c.*

Claudian. in Ruf. 2.

I nunc, exilium nobis meditare remissus
Incassum Stilico &c.

Terent. Adelph.

Imò habeat, valeat, vivat cum illa
Profundat, pereat, perdat; nihil ad me attinet.

Virg. Æneid. 7.

I nunc, ingratis offer te irrisa periclis:
Tyrrhenas insterne acies: tege pace Latinos.

Horat. ep. 7.

I nunc, argentum, & marmor vetus, æraque & artes
Suspice; cum gemmis tyrios mirare colores;
Gaude quod spectant oculi te mille loquentem.

Quibus in exemplis liquidò apparet, energiam habere has figuras, si cum Ironiâ conjunctæ sint; quapropter hoc pacto Ciceroni fuit familiaris; ut mõstrant sequentia: Pro Flac. *Litemus igitur Lentulo; parentemus Cethego; revocemus ejectos; nimiæ pietatis, & summi amoris in patriam vicissim nos pœnas, si ita Diis placet, sufferamus.* Et 3

Ver.

Ver. *Confringat iste sanè vi sua consilia senatoria: quæstiones omnes perrumpat: evolet ex nostra severitate.* Et pro Mil. *Excitate, excitate eum, si potestis, ab inferis &c.*

IV. Concessioni affinem quidam faciunt *Paromologian* παρομολογίαν, seu latinâ voce malumus appellare *Confessionem*, fitque secundùm Rutilium Lupum, ac Rufinum, cùm aliquot res Adversario concedimus; deinde aliquid inferimus, quod aut majus sit quàm superiora, aut etiam omnia, quæ posuimus infirmet: seu iuxta Joannem Lonicerum, cùm interroganti per defensionem quampiam respondemus; ut: *Esto, quod diu conjunctissimè vixerimus; acceperim abs te beneficia multa; multis te quoque officiis cumulaverim, quid tum? an non hæc omnia tuam injustitiam majorem reddunt, quod pecunias, quas semel, & iterum tibi largiri volui, & renuisti, nunc mihi egenti reddere nolis?* Cic. pro Flac. *Tribuo Græcis literas; do multarum artium disciplinam; non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam; denique etiam si qua sibi sumunt alia, non repugno. testimoniorum Religionem, & fidem, nunquam ista natio coluit; totiusque hujusce rei, quæ sit vis, quæ auctoritas, quod pondus ignorant.* D. Paulinus in ep. ad Aprum: *Sibi habeant literas suas Oratores; sibi sapientiam Philosophi; sibi divitias suas divites; sibi regna sua Reges: nobis gloria, & possessio, & regnum Christus est.* Hyperides. *Sume hoc ab judicibus nostra voluntate: neminem illi propriorem cognatum quam te fuisse concedimus: officia tua in illum nonnulla extitisse, stipendia vos unà fe-*

cisse aliquandiu nemo negat: sed quid contra Testamentum dicis, in quo sciptus hic est. Idem. *Quid à me sæpius his verbis de meo officio requiris? Scripsisti ut servis libertas daretur; scripsisti ne liberi servitutem experirentur &c. leges igitur quæ probibebant hæc, non negligebas? Non poteram, propterea quod literis earum arma Macedonum opposita obsistebant.* Aliqui hìc insuper addunt *Paralepsin,* quâ nos multa, & ea gravia quandoque, præterire fingimus; ut ad majora veniamus; sed, me judice, nihil est quod novam classem constituat hîc modus; cum in superioribus includatur. Formulas Concessionum si quis amet, adeat Caussinum, Desiderium Erasmum, Vossium &c.

V. *Correctio, Epanorthosis* ἐπανόρθωσις à Græcis dicta, à Latinis itidem, *Emendatio,* & *Revocatio.* Eam sic Herenianus Auctor describit: *Correctio est quæ tollit id, quod dictum est, & pro eo, quod magis idoneum vitur reponit.* Potest autem esse verbi, aut sententiæ; & ideo hoc schema revocari solet & ad verborum, & ad sententiarum figuras. Cæterum, sive in re, sive in verbo posita sit, eadem semper correctionis forma, quæ fieri poterit juxta Erasmum lib de verb. Cop. c.65. triplici pacto.

1. *Addendo.* 2. *Minuendo.* 3. *Commutando.*

1. Addendo, ut: *Suos omnes læsit: quid dixi læsit? imò subvertit.* Senec. Consol. ad Marc. *Nibil de bac die promittitur; magnam advocationem dedi, nibil de bac bora.* Cic. in Cat. *Qui de hujus urbis, atque adeo orbis exitio cogitant.* Et pro Planc. *Insector, posco, atque adeo flagito.* Et pro Cæl. *O stultitiam, stul-*

ſtultitiamne dicam, an impudentiam ſingularem? Item pro Sext. *Cui benedixit unquam bono? benedixit? imo quem fortem, & bonum civem non petulantiſſimè eſt inſectatus?* S. Jo: Chriſoſt. hom. 24. ad Pop. Antioch. *Nam cùm Servus Patris domum non intrat; cùm ſis tu fera, qualiter ad illa poteris accedere veſtibula? Sed quid dixi fera? feris omnibus es hujuſmodi pejor.* Terent. Heaut.

Filium unicum adoleſcentulum habeo. ah quid dixi habere me?
Imò habui, Cherme: Nunc habeam, necne, incertum eſt.

Virg. 2. Æneid.

Scilicet hæc Spartam incolumis, patriaſque Mycænas
Aſpiciet, partoque ibit Regina triumpho?
Conjugumque, domumque, patres, gnatoſque videbit
Iliadum turba, & phrygiis comitata miniſtris.
Occiderit ferro Priamus? Troja arſerit igni?
Dardanidum toties ſudarit ſanguine littus?
Non ita: namq; etſi nullum memorabile nomen.

2. Minuendo: ut: *Sic hic vivimus, aut victitamus verius. Bonas literas ſedulitate ſua depravavit; vel ut verius dicam, infirmavit. Græcas literas deguſtavit veriùs, quàm didicit.* Cic. pro Cœl. *Quod quidem facerem vehementius; niſi inimicitiæ mihi intercederent cum iſtius mulieris viro: fratrem volui dicere: ſemper hic erro.* Et Phil. 3. *Patrimonium effudit; quamquam non ſumus uſi eo verbo quo decuit; non enim effudit; ſed in ſalute Reipublicæ collocavit.*

Ovid. *Scelerique reſiſtite noſtro;*
Si tamen hoc ſcelus eſt.

Senec. Theb.
Ignota tandem venit afflictæ quies:
Brevisque fessis somnus obrepsit genis
(Si somnus ille est mentis attonitæ stupor)
Cùm subitò &c.

3. Commutando, aut in contrarium verbum, aut in commodius, ac significantius; ut: *pro hospite, hostem fovi domui meæ. Hic legationibus non immoratur sed immoritur. Hic patrimonium omne absumpsit, aut, ut melius dicam, abligurivit.*

Correctionis notæ sunt, *imò, atque adeo, potius, quin potius*, & similes. Rufinianus hanc figuram *Aphorismon* appellavit; habetque in oratione non mediocrem venustatem; si suo loco adhibeatur.

De Deprecatione Distributione, Dubitatione. *Cap. VI.*

I. D*Eprecatio*, quæ & *obsecratio*, atque *Supplicatio* dicitur, Græcè *Proslipariſis* προσλιπάρησις, & *Deesis*, figura est, quâ Dei, aut hominis cujsdam opem imploramus; atque etiam interdum rerum sensu carentium. Cic. pro Muræn. *Quæ cùm ita sint, Judices; primùm Reipubl. causa, qua nulla res cuiquam potior esse debet, vos pro mea summa, & vobis cognita in Rempubl. diligentia, moneo; pro authoritate consulari, hortor; pro magnitudine periculi obtestor; ut otio, ut paci, ut saluti, ut vitæ vestræ, & cæterorum civium consulatis.* Id. pro Mil. *Quid restat, nisi orem, obtesterque vos; ut eam misericordiam tribuatis fortissimo viro, quam ipse non implorat. Ego autem repugnante hoc, &*

imploro, & exposco. Et pro Dejot. *Per dexteram te istam oro, quam Regi Dejotaro hospes hospiti porrexisti; istam, inquam dexteram non tam in bellis, & in præsidiis, quàm in promissis, & fide firmiorem.* Virg. Æneid. 10.

Percussæ Genitor fumantia Trojæ
Excidia obtestor; liceat dimittere ab armis
Incolumen Ascanium. Et 12.
Pro Latio obtestor, pro majestate tuorum.
Idem 6. *Da (non indebita posco*
Regna meis fatis) Latio considere Teucros.
Et alibi.
Turne per has ego te lacrymas, per, siquis amat.
Tangit honos animum &c. Et
Juppiter omnipotens audacibus annue cœptis.
Ipse tibi ad tua templa feram solemnia dona;
Et statuam ante aras aurata fronte juvencos.
Et 9. Æneid.
Figite me, si qua est pietas; in me omnia tela
Conjicite, ò Rutili; me primam absumite ferro:
Aut tu, magne Pater Divum miserere &c.

Pindarus ode 7. longam Deorum ponit obsecrationem; & Tullius in Oratione antequam iret in exilium. *Nunc ego te, Jupiter Opt. Max. &c.* Demosthenes orat. contra Heschinem à precatione orditur. *Cæterùm,* ut inquit Carbon, *tunc propriè deprecatio dicitur; cùm veniam culpæ, ex imprudentia, aliave necessitate commissæ, petimus* Alii Deprecationem ab Obtestatione, & Adjuratione distinguunt; voluntque, Deprecationem esse quando hominis, aut Numinis opem poscimus; Obtestationem, cum per rem sacram, aut charam.

II. *Distributio*, seu *Partitio*, Græcè *Merismos* μερισμος, fit cùm genus, vel totum, vel

vel subjectum in suas partes distribendo dilatamus; & quod paucis dici poterat, fusiùs explicatur: seu cum Auctore ad Heren. est *cùm in plures res, aut personas certas, negotia quædam dispertiuntur*, ut: *Senatus officium est consilio civitatem juvare: Magistratus officium est opera, & diligentia consequi voluntatem Senatus; Populi officium est res optimas, & homines idoneos maximè suis sententiis eligere, & probare; Accusatoris officium est inferre crimina; Defensoris diluere, & propulsare.* Cic. pro Mil. *Publii Clodii mortem æquo animo ferre quis potest? luget Senatus; mœret equester ordo; tota civitas confecta senio est; squallent municipia; adflictantur coloniæ; agri denique ipsi, tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum civem desiderant.* Quæ omnia ironicè dicta sunt. Id. Catil. 2. *Quis tota Italia veneficus? quis gladiator? quis latro? quis parricida? quis adulter? quæ mulier infamis, quis perditus inveniri potest, qui se cum Catilina familiarissimè vixisse non fateatur?* Lycurg. *Cujus omnes corporis partes ad nequitiam sunt appositissimæ; oculi ad petulantem lasciviam; manus ad rapinam; venter ad aviditatem; pes ad fugam &c. prorsus, ut, aut ex hoc vitia, aut ipse ex vitiis ortus videatur.* Martialis.

Dat populus, dat gratus eques, dat thura Senatus.

Claud. de rapt. l. 1.

In medium graviora cadunt. incanduit æther.
Egit flamma polum: fluxit mare: terra pependit.
Nec color unus erat; stellas accendit in auro:
Ostro fundit aquas: attollit littora gemmis.

Virg.

Virg. 1. Georg.

Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ ;
Arborei fœtus alibi, atque injussa virescunt
Gramina : nonne vides croceos , ut Tmolus odores ,
India mittat ebur , molles sua Thura Sabæi ?
At Calybes nudi ferrum, virosaque Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epiros equarum ?

Item Æneid. 3.

Sic fatus meritos aris mactavit honores ;
Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo,
Nigram hyemi pecudem , Zephyris felicibus albam .

Optima quoque distributio illa censetur, in quâ singula singulis correspondent ; & unumquodque proprio circumscribitur verbo ; ut si de Protheo dixeris : *In aquam attolli, accendi in ignem, excandescere in leonem, in suem grunnire, serpere in draconem , assurgere in arborem .* Orat. ad Brut. *Quid tam commune , quam spiritus vivis , terra mortuis , mare fluctuantibus , littus ejectis ?* D. Ambros. Hexameron. l. 3. c. 15. *Inter arenas flava, inter cautes spumea, inter nemora viridantior, inter florulenta discolor , inter lilia fulgentior , inter roseta rutilantior , in gramine liquidior, in palude turbidior, in fonte perspicua, in mari obscura.* i. *Aqua.* Julius Firmicius lib. de err. profan. Relig. de Jove : *In cygno fallit; in Tauro rapit ; ludit in Satyro.* D. Hilar. *Quomodo se Dei profitebitur in libidinem calens , in iram mobilis , in avaritiam sollicitus , in ebrietatem sitiens , in gloriam sæculi inanis .* Est & versus Licentii de Protheo ad D. August.

Spumat aper, fluit unda , fremit leo , sibilat anguis .

Familiare est hoc schema Oratoribus invehentibus in vitia; Poëtis in Descriptionibus absolvendis. Est maximæ utilitatis; sed de illo plura ubi de Amplificandi ratione.

III. *Dubitatio*, sive *Addubitatio*, Græcè *Aporia* ἀπορία, & *Diaporesis* διαπόρησις, fit quando ambigere, & hæsitare nos dicimus quid faciendum, aut dicendum sit; sive ut habetur ad Her. *cùm quærere videtur Orator, utrùm de duobus potius, aut quid de pluribus potissimùm dicat*. Cic. pro Cluent. *Equidem quod ad me attinet, quo me vertam nescio. negem fuisse illam infamiam corrupti judicii? negem illam rem agitatam in concionibus, jactatam in judiciis &c.* Et pro Cornel. *Pugnem apertè contra nobilissimorum hominum voluntates? studia, consilia, cogitationesque eorum aperiam? &c.* Et pro Rosc. Amer. *Quid primùm quærar? aut unde potissimum judices credar? aut quod, aut à quibus auxilium petam? Deorum immortalium? populine Romani?* Liv. lib. 8. Decad. 3. *Apud vos quemadmodum loquar, nec consilium nec oratio suppeditat, quos, nec quo nomine quidem appellare debeam, scio. Cives? qui à patria vestra descivistis; an milites? qui imperium, auspiciumque abnuistis. Sacrati? Religionem rupistis. Hospites? corpora, ora, vestitum, habitum civium agnosco; facta, dicta, consilia, animos hostium video.* Virg. 4. Æneid.

En quid agam? rursus ne procos irrisa priores
Experiar? Nomadumque petam connubia supplex,
Quos ego sum toties jam dedignata maritos?
Iliacas igitur classes, atque ultima Teucrum

Jussa

Jussa sequar? &c. Id. ibid.

Heu quid agat. Quo nunc Reginam ambire furentem
Audeat afflatu? quæ prima exordia sumat?
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc &c.

Item 12.

Nam quid ago? aut quæ jam spondet fortuna salutem?

Horat. od. 12. lib. 1.

Quem virum, aut Heroa, Lyra, vel acri
Tybia sumes celebrare Clio?
Quem Deum? cujus recinet jocosa
Nomen imago?

Utimur hac figurâ, ut habet Carbon, ad rem aliquam augendam, magisque laudandam; cùm quid potissimùm dicendum, & undè incipiendum sit, quærere, & ab aliis percontari simulamus: & ideo in genere laudationis, & deliberationis locum habet. Solet occupare præcipuè orationum, & epistolarum exordia; quod exordiendi genus rem maximè amplificat, & exaggerat, auditoremque attentum facit. Confert etiam ad aliquid occultandum, dissimulandumque, & ad miserationem ciendam.

De Exclamatione, Epyphonemate, ac Expolitione.

Cap. VIII.

I. Exclamatio, quam Græci *Ecphonesin* ἐκφώνησιν dixere, nihil aliud est, quàm orationis elatio; quæ interjectione quadam expressâ, vel suppressâ, motum

vehementiorem efficit, reique magnitudinem exprimit. Interjectiones verò ferè sunt ejusmodi *o, heu, pro, en &c.* Exemplis res fiet apertior. Cic. Phil. 2. *O cœlum, ò terram, ò maria Neptuni!* Et pro Syllâ. *O miserum, & infelicem diem illum, quo consul omnibus centuriis P. Sylla renunciatus est! ò falsam spem! ò volucrem fortunam! ò cœcam cupiditatem! ò præposteram gratulationem! quam citò illa omnia ex lætitia, & voluptate ad luctum, & lacrymas reciderunt! ut qui paulò ante consul designatus fuisset, retineret repentè nullum vestigium pristinæ dignitatis!* Et pro Sext. *O diem illum funestum, Senatui bonisque omnibus Reipublicæ luctuosum, mihi ad mœrorem gravem, ad posteritatis memoriam gloriosum.* Et in Pison. *O stultos Camillos, Curios, Fabritios! ò amentem Paulum, rusticum Marium!* Ubi Ironia maximè elucet, ut in sequentibus 3. in Ant. *O præclarum custodem, ut ajunt, lupum!* Et pro Balbo. *O præclarum interpretem juris auctorem iniquitatis, correctorem, atque emendatorem nostræ civitatis!* Est epistola Juliani tota in exclamatione. *O eloquentiam! ò mentem! ò distributionem! ò vim argumentorum! ò dispositionem! ò adjuncta! ò ditionem! ò numerum! ò compositionem!*

Lucan. lib. 4. *O prodiga rerum*
Luxuries nunquam parvo contenta paratu!

Virg. Æneid. 2.
O Patria, ò Divum domus Ilium, & inclyta bello
Mœnia Dardanidum. Idem 3.
O felix una ante alias Priameia Virgo
Hostilem ad tumulum, Troje sub mœnibus altis
Jussa mori.

Laud.

Laudata exempla omnia expressam habent Interjectionem; habebitur nihilominus exclamatio etiamsi fuerit suppressa; ut in hoc Pauli ad Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* &: *miserum me! ubinam gentium positus sum? Superi, quæ hujus Urbis præclarissimæ cædes fuit, quæ facies, quis decor? Facinus indignum! Itane squallere Senatum, cives contristari, ordines lugere omnes oportuit?*

Virg. *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri sacra fames?

Hoc schema habet interdum conjunctam Admirationem, interdum Optationem, ut in hoc Ovidii ep. I.

O utinam tunc, cùm Lacedæmona classe petebat,
Obrutus insanis esset adulter aquis.

Et Virgil.

Sic Pater ipse Deum faciat; sic altus Apollo.

Et I. Georg.

O fortunatos nimiùm, sua si bona norint,
Agricolæ!

Sanè, ut paucis omnia complectamur, universis inservit affectibus; estque ad animos permovendos instrumentum aptissimum. Sed videndum ne in re frigidâ exclamemus; sed tunc tantummodo, cùm magnitudo rei postulabit; cumque gravioris momenti rem probaveris; & auditorum animi fuerint commoti; unde proprius locus epilogus accensendus. Ne tamen frequens, ac diuturnus sit hujus figuræ usus. Figuram dico, quidquid senserit Fabius l. 9. c. 2. aliique, qui ad Tropos rejiciendam existimârunt.

II. *Epiphonema* ἐπιφώνημα, latinè *Acclamatio* appellatur. Est autem juxta Quintil. l. 8. c. 5. *rei narratæ, vel probatæ summa acclamatio.* Alii sic enunciant: *Epiphonema est adjecta per acclamationem oratio vel sententia.* seu. *Oratio consequens, qua rei narratæ, aut probatæ, velut coronis, subjicitur pronunciatum ex superioribus expressum.* Dixi, ex superioribus expressum, ut scilicet quod assumitur, non sit à re, de quâ agitur, alienum, quod vitium cavebimus, si aliquam apparere similitudinem, ac necessitatem conclusionis efficiemus; ut patebit in sequentibus exemplis: Valerius Max. narrato lugubri eventu Crassi, Auspiciorum contemptoris; hoc pacto Epiphonemate abrumpens claudit: *Sic Dii spreti exardescunt: sic humana consilia castigantur, ubi se cælestibus præferunt.* Cic. Cypriorum Regis præmisso infortunio, acclamat: *En cur cæteri Reges stabilem suam fortunam arbitrentur.* Id. de Senect. *Quam ut adipiscantur, omnes optant; eandem accusant adepti. Tanta est stultitia, & perversitas.* Iterum Val. Max. l. 1. c. 35. post longum de neglectâ religione sermonem, ac pœnis ob id à Numinibus sæpiùs inflictis, subdit: *Lento gradu ad vindictam sui, Divina procedit ira; tarditatemque supplicii gravitate compensat.* Rursum Cic. pro Dejot. postquam locum, in quo Cæsari structas à Rege Dejotario insidias adversarii contendebant, exposuit; narrationem concludit: *En crimen, en causa, cur Regem fugitivus, dominium servus accuset.* Hæc figura Senecæ fuit admodùm familiaris; cùm om-

omnes ſuas epiſtolas illâ ferè clauſerit: Valerio quoque & M. Marulo: ſed nullibi magis ſplendet, quam in Davidicis Pſalmodiis. Poëtæ ſępiùs & ipſi uſurpant; & Martialis Epigrammata quandoque Acclamatione finire ſolet; ut illud Amphit. 14.

O quantum eſt ſubitis caſibus ingenium!

Lucret. lib. 1.

Tantum Relligio potuit ſuadere malorum.

Virg. Ecl. 1. docens animalia ſingula ex re quapiam delectationem capere, addit:

Trahit ſua quemque voluptas.

Id. l. 4. Georg. poſtquam expoſuit apum induſtriam in conficiendo melle:

Tantus amor florum, & generandi gloria mellis.

Idem Æneid. 1.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Et 9. *Tantum infelicem Niſus dilexit amicum.*

Ex dictis locis apparet, Acclamationem includere ſæpenumero Admirationem; & tunc facilè cognoſcitur; quando autem ſpoliata Admiratione, non ita. Sunt qui Epiphonematis tres formas faciant; quarum una extrinſecus nonnihil quærit cum audaciâ; altera rei ſummam continet; tertia fit per generalem ſententiam, & locum communem. Quidquid tamen ſit, noverint Adoleſcentes, hoc ſchema maximum habere ſplendorem, & acuminis multum cum quadret ſermoni; tædium afferre, ſi projiciatur, nec congruè efferatur.

III. *Expolitio*, ſeu *Commoratio*, Græcè *Epexergaria* ἐπεξεργασία, & Exergaſia ἐξερ-

ἐξεργασία, quàm Latini etiam *suffragationem*, Cicero *tractationem* vocavere; fit, cùm unam, & eandem rem aliis, atque aliis modis tractamus; variis schematibus ornamus; ac præsertim, jis quæ ad movendum valent. Herennianus Auctor l. 4. Expolitionem à Commoratione secernit; vultque, Commorationem esse, cùm in loco firmissimo, in quo tota causa continetur, manetur diutius, & eôdem sæpiùs reditur: Expolitionem verò, cùm in eodem loco manemus, & aliud, atque aliud dicere videmur. Multi tamen confundunt, quos hîc sequemur: quamvis enim de Commoratione separatim ab Expolitione diceremus, exempla subjicere nequiremus; propterea quod hic locus non est à totâ causâ segregatus, ac veluti membrum quoddam; sed tamquam sanguis profusus per totum orationis corpus. Restât igitur, ut in Expolitione immoremur, & aliqua exempla proferamus. Cic. pro Mar. *At hujus gloriæ, C. Cæsar quam es paulò ante adeptus, socium habes neminem: totum hoc quantumcumque est, quod certè maximum est, totum est, inquam tuum. Nihil tibi ex ista laude Centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit &c.* Et Catil. 1. *Patere tua consilia non sentis? constricta jam horum omnium conscientia teneri conjurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte egeris; ubi fueris; quos convocaveris; quid consilii cœperis, quem nostrum ignorare arbitraris?* Id. 2. in Rull. *Ego qualem Cal. Januarii acceperim Rempubl. intelligo plenam sollicitudinis, plenam timoris; in qua nihil*

erat

erat mali, nihil adversi, quod non boni metuerent, improbi expectarent. Virgilianus Corydon. Eclog. 2. perbellè hanc suam propositionem expolit:

Despectus tibi sum; nec quis sim, quæris, Alexis;
Quàm dives pecoris nivei, quàm lactis abundans.
Mille meæ siculis errant in montibus agnæ.
Lac mihi non æstate novum, non frigore desit.

Et in Georgicis, cùm ad Italiæ laudes fit declinatio, idem propemodum, non eâdem repetit formâ:

Primus ego in Patriam, me cum (modò vita supersit)
Aonio rediens deducam vertice musas:
Primus Idumæas referam tibi, Mantua, palmas &c.

Et 9. Æneid.

Mene igitur socium summis adjungere rebus,
Nise, fugis? Solum te in tanta pericula mittam?
Non ita me genitor bellis assuetus Opheltes
Argolicum terrorem inter, Trojæque labores
Sublatum erudiit &c.

Quod usum spectat, confert hoc schema ad rem exaggerandam, & ad movendum; cùm eandem rem variè repetitam, cum venustate auditorum animis insinuamus. Locum itaque habebit post alicujus rei probationem; quando eam rursum exornamus; ut ejus magnitudo melius percipiatur; quod non potuit fieri simplici enunciatione. Plura qui volet de Expolitione adeat Auct. Heren. l. 4. Esset hîc *Gradationi* locus; sed de illâ multa protulimus

limus superiùs, ubi de schematibus quæ in verbis; unde actum non agimus.

De Hypothyposi, et Imprecatione, Cap. IX.

I. Hypothyposis ὑποθύπωσις, quam *Descriptionem* Cicero nominat, alii *Effictionem, Demonstrationem, Energiam, Diatyposin, Characterismum*, figura est, quâ res quæpiam ita exponuntur, ut non narrari, sed geri; non audiri sed ob oculos poni, & spectari videantur. Sed alios Rhetores audiamus. Lullus Rhet. lib.6. cap.4 *Energia perspicuitas quædam est orationis, quæ facit, ut ea quæ narrantur, non intelligi modo; sed pene etiam cerni oculis videantur.* Julius Rufinianus. *Energia est figura, qua formam rerum, & imaginem, ita oratione substituimus, ut Lectoris oculis præsentiæque subjiciamus.* Fabius l.6. c.2. *Energia à Cicerone illustratio, & evidentia nominatur, quæ non tam dicere videtur quàm ostendere; & affectus, non aliter, quàm si rebus ipsis interfimus, sequentur.* En quid sit Hypothyposis. Quamvis autem plures esse possint Descriptionis formæ; eas tamen communiter ad quatuor contrahunt, suntque

Pragmatographia, seu *Descriptio rerum, aut gestorum*
Prosopographia, seu *Descriptio hominum.*
Topographia, seu *Descriptio loci.*
Chronographia, seu *Descriptio temporis.*

De his omnibus formis antequam peculiare quid exponamus; notandum, ad rem optimè eleganterque describendam duo

duo potissimùm observanda: Primùm, ut totam rei naturam, omnia attributa, & circumstantias animi concipiamus; Deinde ut idoneis, propriisque efferamus verbis; figuris, aliisque artis illustremus luminibus, collationibus nempe, similibus &c. Dixi propriis verbis; nam, ut monet Minturnus Poët. lib. 6. *Verba erunt hujusmodi, ut sententiis ad animi motus exprimendos congruerint. Nam alia quidem aliter affectus decere consentaneum est; ut in ira exprimenda acriora, in commiseratione leniora, ipsaque tenuia, & pura adhibeantur &c.*

II. Pragmatographia πραγματογραφία, seu rei descriptio, fit locupletando orationem, quâ quod factum est, aut efficitur, non summatim, ac tenuiter exponitur, sed fusè & ornatè, omnibusque fucatum coloribus; ut auditorem, aut etiam lectorem, jam extra se positum, velut in theatrum avocet. Hujus autem sunt loci descriptiones præliorum, cædium, turbinum, naufragiorum tempestatum, funerum, triumphorum, aliarumque similium rerum; quæ oculis spectasse interdum prodesset, aut interfuisse, ut eorum accuratiorem typum exprimeremus. Expugnatæ Civitatis descriptionem exhibet Fabius his verbis: *Apparebant effusæ per domos, ac templa flammæ; & ruentium tectorum fragor, & ex diversis clamoribus unus quidam sonus, aliorum fuga incerta, alii in extremo complexu suorum cohærentes, & infantium, feminarumque ploratus, male usque in illum diem servati fato senes: tum illa profanorum sacrorumque direptio, efferentium prædas, repetentium-*

tiumque discursus ; & ante suum quisquis praedonem catenati ; & conata retinere infantem suum mater, & sicubi majus lucrum est pugna inter victores. Tempestatis, habet Curtius l. 8. *Tertio die ab omni parte cœli emicare fulgura, & nunc internitente luce, nunc condita, non oculos modo meantis exercitus, sed etiam animos terrere cœperunt. Erat propè continuus cœli fragor, & passim cadentium fulminum species visebatur, attonitisque auribus stupens agmen non progredi, nec considere audebat. Tum repente imber grandinem incutiens torrentis modo effunditur. Ac primo quidem armis suis tecti exceperant &c.* Horum exemplorum ingentem copiam si quis amet, adeat collectorem P. Gandutium, qui ex historicis, & Poetis excerpta in duo volumina digessit. Farnabium quoque in Indice Poëtico. Virg. 9. Æn.

It clamor totis per propugnacula muris.
Intendunt acres arcus, amentaque torquent;
Sternitur omne solum telis; tum scuta, cavæq;
Dant sonitum flictu galeæ: pugna aspera surgit.

Ventorum conflictum exponit 1. Æn.

Incubuere mari, totumque à sedibus imis
Una, Eurusque, Notusque ruunt, creberque procellis
Africus, & vastos volvunt ad littora fluctus.
Eripiunt subito nubes cœlumque diemque
Teucrorum ex oculis. Ponto nox incubat atra.

Habes in Troade Senecæ descriptionem per nuncium factam Andromachæ, quomodo periisset Astianax ejus filius; in Euripide de occisione Polyxenæ, Iphigeniæ &c. Nec refert ad hoc institutum an veræ sint narratæ res, vel falsæ. Sciendum in-

super

ſuper cum Eraſmo hoc genus deſcriptionis non mediocriter adjuvari collationibus ſimilibus, diſſimilibus, imaginibus, metaphoris, allegoriis, & hujuſmodi. Neque ſolum exponimus quæ evenere, aut eveniunt, ſed etiam quæ eventura ſunt, aut eſſent; ſi hoc aut illud accidiſſet. Ut, ſi Monarchiam diſſuadere intendam, graphycè depingam Tyrannidis Tragœdiam, Auditoreſq; admonebo, ut ſe ſe omnia videre parent, quæ mox paſſuri ſunt, ſi Democratiam mutarint in regnũ. Ad hoc inſuper genus referri ſcias explicationem formæ gentis, vitæque ritus; veluti ſi quis Indorum, Anthropophagorum, Troglodytarum, Bagadum, aut ſimilium gentium imaginem oculis proponat; aut ſi vitæ militaris, philoſophiæ, aulicæ, Religioſæ, ruſticanæ, regiæ, privatæ, archetypon proponas, aut effingas; fabuloſæ itidem deſcriptiones, puta, ætatis aureæ, argenteæ, ferreæ &c. huc ſpectare videntur.

III. *Proſopographia* προσωπογραφία, ſive hominis Deſcriptio, ſeu meliùs, Perſonę. Nomine tamen perſonæ non ſolum ea intelligenda, quæ vitam ducat; verùm & quæ ducere fingat; ut ſi virtutem, & voluptatem apud Herculem inter ſe decertantes propoſuero, ut apud Xenoph. Calumniam, ut apud Lucian. Occaſionem, ut apud Auſon. Fortunam, ut apud Horat. in odis. Juſtitiam, ut apud Chryſip. Muſas, Gratias, Bellonam, Furias, Sphingem, Scyllam, Charybdim &c. Porro perſona depingi poterit

1. A natione, ſeu patria, ut ſi Pœni, Græ-

Græci, Scythæ, Galli, Angli, Germani, formam, cultum, vocem, linguam, gestum, incessum, ritus, ingenium, ac mores expressero. Fingendus enim Pœnus fœdifragus, vafer, cultu ambitiosiore &c. Sunt & singularum Civitatum peculiares notæ, ut mollis Atheniensis, Parcus Florentinus, industrius Lucensis.

2. A sexu, depingitur vir severior, mulier loquacior, inconstantior, superstitiosior.

3. Ab ætate: tales effingimus, quales Horatius ostendit in arte Poëtica.

4. A fortunâ: fastuosior inducitur dives, humilior, ac timidior pauper.

5. A studiis: fit gloriosus, & facinorum suorum jactator miles; perjurus leno; tristior rusticus, adulantior aulicus, mitior urbanus, medicus ad quæstum propensior, Sophista loquacior, Poëta nominis avidior &c.

Observandum præterea quid cuique personæ conveniat; aliud enim seni, aliud servo, aliud juveni, aliud patrifamilias proprium est. Achillem acrem, inexorabilem, infensum regibus, pedibus velocibus inducam. Ulyssen, vafrum, mendacem, dissimulantem, omnia tolerantem. Agamemnonem animo mitiore, sed imperii cupidum; voluptatis avidiorem, quàm belli. Ajacem factis magis, quàm oratione strenvum; contumeliæ, ac repulsæ impatientem &c. Item si quis Epicurum Themistoclem, Alcibiadem, Platonem &c. cupiat effingere, ex historiis decorum petendum est; quo scilicet eis tribuamus

quod

quod maximè convenit. Præterea decorum servandum etiam in fictis personis; ideo Philosophiam producam vultu gravem, verecundam, solitariam, minimè fucatam, & humana despicientem. At vero Rhetoricam hilarem, coloribus pictam, facie erectam, aliisque similibus attributis donatam. Sed ut ea, quæ hucusque protulimus, exemplo aliquo illustremus; Cic. 2. Agr. *Jam designatus alio vultu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur, vestitu obsoletiore, corpore inculto, & horrido, capillatior quam ante; barbaque majore ut oculis, & aspectu denuntiare vim tribunitiam, & minitari Reipublicæ videretur.* Id. pro Sext. *Vestitus aspera nostra hac purpura plebeja, ac pene fusca; capillo ita horrido, ut Capua, in qua ipse tum imaginis formandæ causa Duumviratum gerebat, Seplasiam sublaturus videretur. Numquid ego de supercilio dicam; quod tum hominibus non supercilium, sed pignus Reipublicæ videbatur? tanta erat gravitas in oculo, tanta frontis contractio; ut illo supercilio Respublica tamquam Athlante cœlum niti videretur.* Tertull. lib. de patientia, eleganter illam depinxit: *Vultus illi tranquillus, & placidus; frons pura, nulla mœroris, aut iræ rugositate contracta; remissa æquè in lætum modum supercilia; oculi humilitate, non infelicitate dejecti; os taciturnitatis honore signatum; color qualis securis, & innoxiis; motus frequens capitis in Diabolum, & minax risus; amictus circum pectora candidus, corpori impressus; ut qui nec inflatur, nec inclinatur, sedet in throno spiritus, quem tertio vidit Elias.* At verò Ovidius 2. Metam. in

hunc

hunc modum invidiam:

Pallor in ore ſedet; macies in corpore toto:
Nunquam recta acies; lingua eſt ſuffuſa veneno:
Nec fruitur ſomno, vigilantibus excita curis:
Sed videt ingratos; intabeſcitque videndo
Succeſſus hominum: carpitque & carpitur una,
Suppliciumque ſuum eſt &c.

Et 6. morientem hominem deſcribit, hoc pacto:

Diriguitque malis: nullos movet aura capillos:
In vultu color eſt ſine ſanguine: lumina mœſtis
Stant immota genis: nihil eſt in immagine vivum:
Ipſa quoque interius cum duro lingua palato
Congelat; & venæ deſiſtunt poſſe moveri.
Nec flecti cervix, nec brachia reddere geſtus,
Nec pes ire poteſt.

Polyphemum Cyclopum exhibet Virg. 3. Æneid.

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum:
Trunca manum pinus regit, & veſtigia firmat;
Lanigeræ comitantur oves, & ſola voluptas,
Solamenque mali, de collo fiſtula pendet.

IV. *Topographia* τοπογραφία, ſeu Loci deſcriptio, eſt quando tota loci facies veluti ſpectanda depingitur; ut urbis, montis, regionis, fluminis, portus, villæ, hortorum, amphitheatri, fontis, ſpecus, templi, luci &c. quæ deſcriptiones ſi veræ ſint, Topographias vocant; ſin minus, Topothesias. Prioris formæ ſunt Carthaginis, & portus apud Virg. deſcriptio; Babylonis Curtii l. 5. Syracuſæ, Cic. 6. Verr. Templi

Apol-

Apollinis Justini l. 24. Tauri Montis, ut apud Plin. l. 5. c. 27. Atho, ut apud Pompon. Melam l. 2. c. 2. Nili, ut apud Senec. Nat. q. l. 4. c. 2. Posterioris formæ sunt, sedes Somni apud Ovid. Domus Famæ, & Regia Solis, apud eundem. Inferorum, & Caci domus apud Virg. Tenari apud Stat. Regia Psiches apud Apul. &c. A loci descriptionibus sæpè narrationum sumitur exordium, non à Poëtis modò, verùm etiam ab Historicis, Ut autem unum aut alterum hujus generis proferamus exemplum: Apul. in Metam. fontem describit; *Namque ibi saxum immani magnitudine procerum, & inacessa salebritate lubricum mediis de faucibus lapidis, fontes horridos evomebat: qui statim proni foraminis laciniis editi, perque proclive delapsi, & angusti canalis exsecto contecti tramite, proximam convallem latenter incidebant: dextera, lævaque cotis cavatis perserpunt, & longa colla porrecti sævi dracones, inconnivæ vigiliæ luminibus addictis, & in perpetuam lucem populi excubantibus.* Rupem, Curtius l. 6. *Prærupta erat rupes, quæ spectat occidentem; eadem quæ vergit ad orientem, leviore submissa fastigio, multis arboribus obsita. Perennem habet fontem: ex quo largæ aquæ manant. Circuitus ejus nonaginta duo stadia compræbendit: Petra, non ut pleræque modicis, ac mollibus clivis in sublime fastigium crescit, sed in metæ maximæ modum erecta est, cujus ima spatiora sunt: altiora in altius coëunt: summa in acutum cacumen exurgunt. Radices ejus Indus amnis subit prealtus, utrimque asperis ripis. Ab altera parte voragines, eluvionesque præ-*

præruptæ sunt, nec alia expurgandi patebat via, quàm ut replerentur. Exemplum descriptionis ficti loci ex Virg. 1. Æn. sumptum tale est.

Est in secessu longo locus: insula portum
Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inq; sinus scindit sese unda reductos.
Hinc atque hinc vastæ rupes, geminique minantur
In cœlum scopuli; quorum sub vertice latè
Æquora tuta silent: tum sylvis scena coruscis
Desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra.
Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum:
Intus aquæ dulces, vivoque sedilia saxo,
Nympharumque domus &c.

Ticinum fluvium ob oculos ponit Sil. Italicus lib. 4.

Cæruleas Ticinus aquas, & stagna vadoso
Perspicuus servat scrutari nescia fundo;
Ac nitidum viridi lentè trahit amne liquorem.
Vix credas labi, ripis tam mitis opacis
Argutos inter volucrum certamina cantus
Somniferam ducit lucenti gurgite lympham:

Et hæc ad exempla sufficiant; neque enim plura afferre libet, ne longiùs evagemur.

V. *Chronographia* χρονογραφία, dicitur temporis descriptio, quâ subjiciuntur quæ in tempore. Hoc genus interdum narrationum facit initium: interdum quoque delectandi dumtaxat gratia adhibetur. Veluti quoties Poëtæ diem, auroxam, noctem, crepusculum exprimunt; Æstatem, Ver, Hyemem, Autumnum, vindemiam, Saturnalia, & hujusmodi tempus spe-

ſpectantia. Et dictæ deſcriptiones ſimplices dicentur: hæ autem mixtæ; puta ſi belli, pacis, ſeditionis, factionis, monarchię, democratiæ qualitatem temporum recenſuero. Hyemem Theophylatus depingit: *Præteriit Autumnus, & jam Hyems terræ ingruit: mare tranquillitatis fœdera rupit: navigantes portus quaſi ſoſpitatores amplectuntur; & ruſticus ad focum confugit; & formica in cavernis terræ ſuis laboribus parto victu fruitur &c.* Naſcentem Auroram Ovid. 2. Met.

Dumquę ea magnanimus Phaëton miratur, opuſque.
Perſpicit; ecce vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas aurora fores; & plena roſarum
Atria diffugiunt ſtellæ, quarum agmina cogit
Lucifer; & cœli ſtatione noviſſimus exit.
Tum Pater ut terras, cœlumq; rubeſcere vidit;
Cornuaque extremæ velut evaneſcere lunæ;
Jungere equos Titan velocibus imperat Horis;

Conſulatur Cauſin. l. 11. Minturnus, Gandutius, Farnabius, ut ſuprà.

VI. *Imprecatio*, ſeu *Execratio*, Græcè κατάρα *Catara*, fit quoties alicui malum imprecamur; & *Diræ* etiam vocantur, quę à Chriſtiano homine nunquam proferri debebunt; cùm perditos tantùm deceant viros, nullâque religione donatos. Cic. Phil. 6 *Igitur eſt Patronus L. Antonius? malam quidem illi peſtem*. Et Phil. 13. *Quin tu abi in malam rem, malumque cruciatum.* Et pro Dejot. *Dii te perdant, fugitive; ita non modò nequam, & improbus, ſed fatuus, & amens es.* Longam execrationem ex Poëtis habet Ovidius in Ibin. Priamus ſic

Pyrrho execratur post filium ad eodem neci mandatum.

At tibi pro scelere (exclamat) pro talibus ausis,
Di (si qua est cælo pietas, quæ talia curet)
Persolvant grates dignas, & præmia reddant.

Et Eclog. 9.

Hos illi (quod nec benè vertat) mittimus hædos.

Claud. l. 2. in Ruf.

Genus omne dolorum
In te ferre lubet: dubio tibi pendula rupes
Immineat lapsu &c.

Seneca.

Vivat: per urbes erret, ignotus, egens,
Exul, pavens, invisus, incerti laris
Me Coniugem optet, limen alienum expetat
Jam notus hospes: quoque non aliud queam
Pejus precari &c.

Neque aliis tantùm malum imprecamur, sed etiam nobis ipsis: ut patet ex hac Didonis. Virg. Æneid. 4.

Sed mihi vel tellus optem priùs ima dehiscat:
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras.
Pallentes umbras Erebi, noctemq; profundam
Ante, pudor, quam te violem; aut tua jura resolvam.

De Interrogatione, Ironia, et licentia. Cap. X.

I. Interrogatio, Græcè *Erotema* ἐρώτημα, Erotesis &c. duplex est, una simplex, quâ interrogamus, ut sciamus, ut Virg. Ecl. *Dic mihi, Damœta, cujum pecus? an Melibei?* Et Æneid. 1.

Sed vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris?

Secunda est, quæ urgendi, & instandi causâ, & ad varios animi motus exprimendos adhi-

adhibetur; de quâ hic nobis potissimùm sermo. Et ut clarè procedamus; causas singulas ex ordine subdam, quas propter frequentatur.

1. Asseverandi causâ; ut: *Nonne ego te cum illo ducentem noctis intempestæ vigilias vidi facinus meditantem?* Virg. Ecl. 3.

Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidiis?

2. Instandi. *Quare cunctaris? cur es pactus inducias? adest spes salutis; excrescunt armatorum copiæ; torpent hostium vires; Amicorum nobis favet auctoritas, opes, auxilia &c.* Virg. Æn. 11.

Quid cessas? an tibi Mavors
Ventosa in lingua, pedibusque fugacibus istis
Semper erit?

3. Admirationis. Cic. Phil. 2. *At quàm insolenter statim belluo invasit in ejus viri fortunas, cujus virtute terribilior erat Pop. Rom. cæteris gentibus, justitia charior?* Virg.

Quis te, nate Dea, per tanta pericula casus
Insequitur?

4. Indignationis. *O generatio incredula & perversa, quousque vobiscum ero? quandiu vos patiar?* Cic. in Catil. 1. *Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?* Virg. Æneid. 1.

Pallas-ne exureree classem
Argivum, atque ipsos potuit submergere ponto?

5. Irrisionis. *Ubi nunc auxilia, in quibus confidebas? ubi amicorum corona, in quos Patrimonium dilapidabas? Ubi bona, quæ ad æternitatem comparasti?*

6. Miserationis. *Heu quonam abibis in loco? quæ fuerit statio fidissima erroribus, ac malis tuis?* Virg. Æn. 2. Q 2 Heu

& voluntatem: ut ſi hominem prodigum, luxurioſum illudens, dixero illum *parcum, & continentem*; Patris contemptorem, aut percuſſorem, *Æneam*, intemperantem *Hyppolitum*, aut ſacro more *Joſephum*; inhoneſtam mulierem, *Lucretiam*, aut *Suſannam* &c. Cic. pro Q. Ligario, de quo apertiſſimum erat, cum aliis plurimis in Africâ contra Cæſarem conſpirâſſe; exordium egregiè ſumit ab Ironiâ. *Novum crimen C. Cæſar, & ante hunc diem inauditum, propinquus meus ad te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africa fuiſſe; idque C. Panſa, præſtanti vir ingenio, fretus fortaſſe ea familiaritate, quæ eſt ei tecum, auſus eſt confiteri. Itaque quo me vertam, neſcio: paratus enim veneram, cùm tu id neque per te ſcires, neque audire aliunde potuiſſes, ut ignoratione tua ad hominis miſeri ſalutem abuterer.* Idem pro Cluent. *Cajus Verres Prætor Urbanus, homo ſanctus, & diligens, ſubſortitionem ejus eo die non haberet.* Et pro Cecin. *Senator populi Rom. ſplendor ordinis, decus atque ornamentum judiciorum, exemplar antiquæ Religionis.* Item pro Mil. *Luget Senatus, mœret equeſter ordo, tota Civitas ſenio confecta eſt.* Virg. Æneid. 4.

Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla refertis
Tuque, puerque tuus, magnum & memorabile numen,
Una dolo divum ſi fœmina victa duorum eſt.

Id. ibid. *En dextra, fideſque*
Quem ſecum patrios ajunt portare penates,
Quem ſubjiſſe humeris confectum ætate parentem. Theocrit. Idil. I.

Pasce canes, qui te lanient, catulosq; luporum.
Duplicem habet Homerus Ironiam, & quidem omnis artificij; nempe Iliad. 16. v. 745. & Iliad. 13. v. 374. Sequens Virgiliana, & ex El. 1. vim habet, & venustatem ex pronunciatione:
Insere nunc Mœlibee pyros; pone ordine vites.
Item Juvenalis Sat. 15. altera, quâ deridentur Ægypti cepas venerantes.
O sanctas gentes, quibus hęc nascuntur in hortis Numina. Item hæc Virg.
I nunc, & rebus nimiùm confide secundis.
Ita Cic. in Catil. *Homo videlicet timidus, ac modestus, vocem Consulis ferre non potuit.* Et pro Clod. *Integritas tua te purgavit, mihi crede; pudor eripuit; vita anteacta servavit.* Exhibent & sacræ literæ exempla. Judic. 1. *Ite, & invocate Deos, quos elegistis; ipsi vos liberent in tempore angustiæ.* 3. Reg. c. 18. *Clamate voce majore; Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur.* Genes. 3. *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis, sciens bonum, & malum.*
Porrò Ironiæ septem faciunt species: alii ad quatuor contrahunt, suntque
1. *Clevasmus.* 2. *Mycterismus.* 3. *Asterismus.* 4. *Sarcasmus.* 5. *Exuthenismus.* 6. *Diasyrmus* 7. *Scomma.*
1. Chlevasmus seu Derisio, est oratio cum risu pronunciata; ut cùm aliquis bellatorem eum vocat, qui arma, & clypeum projicit. Hujus speciei suprà habeas licèt exempla; nihilominus hæc addam Cic. *Quasi verò ego de facie tua, catamite, dixerim, vel aliàs potuisset contumeliosiùs facere; si tibi hoc*

hoc Parmeno per aliquem, ac non ipſe Parmeno nuntiaſſet. Virg. Æneid. 12.

En agros, & quam bello, Trojane, petiſti
Heſperiam, metire jacens.

2. Myčteriſmus, ſeu ſubſannatio, eſt potius in geſtu, quàm in verbis, & maximè narium compreſſionem dicit; undè Horat.

Naſo ſuſpendit adunco]

Neceſſitas.

Exemplum re ipsâ ſolùm poſſet dari.

3. Aſteiſmus, vel ſermo mordax, eſt urbanus, ac facetus jocus, vel longè ſæpè petitus, ac ineſpectatus de re aliquâ abſurdâ jocus. Huc pertinet quod Nero in ſervum furacem dixit: *Nihil eſſe ei clauſum, neque ſignatum.* Et Cicero: *Reſpicite reſpicite, Judices hominum fortunas: reſpicite Fabricii ſenectutem.* Cum hoc *reſpicite* ſæpiùs ornandæ orationis causâ dixiſſet, reſpexit ipſe; at Fabricius demiſſo capite à ſubſelliis diſceſſerat. Virg. Ecl. 3.

Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mœvi:
Atque idem jungat vulpes, & mulgeat hircos.

4. Sarcaſmus eſt jocus cum amaritudine, ſive irriſio quædam amarulenta. Cicero: *Sexte noſter, bona venia, quoniam dialecticus es, & hoc quoque liguris.* Virg. Æn. 10.

Vane Ligur, fruſtraque animis elate ſuperbis,
Nequidquam patrias tentaſti lubricus artes.

Et apud eundem.

I nunc & verbis virtutem illide ſuperbis.

5. Exutheniſmus fit, cùm rem aliquam extenuamus, & contemptam faeimus. Catho apud Athenienſes. *Antiochus epiſtolis*

bellum gerit: calamo, & atramento militat. Lucilius.

At magnum fecit, quod verbis Græca Latinis
Miscuit &c.

6, Diasyrmus irridet, objicit, & insultat; ut adversarii auctoritatem imminuat. ut: *Cum facto opus est, loqueris.* Virg.

Larga quidem semper, Drance, tibi copia fandi
Tunc, cùm bella manus poscunt; patribusque vocatis
Primus ades: sed non replenda est curia verbis.

7. Scomma est festiva dictio cum amœnitate mordax. Vix differt à Superioribus; aut saltem præ illis hoc habebit peculiare, quod constet breviori dicacitate.

Pro coronide notandum, Ironiam etiam inter Tropos à Fabio relatam l.9.c.2. quòd duplicem illius constituerit speciem. Nos hìc omnia quæ de illà erant dicenda reposuimus; cùm etiam per dictum Auctorem, Ironia quæ est Tropus, ab illâ quæ est schema, genere ipso nihil admodum distet. Valet Ironia ad sales, & acumina; vimque habet maximam ad restituendum, refellendum, lacessendumque ad risum movendum; ad orationem dilatandam. Reprehendendam tamen esse scias in Historiâ, & in Testimonio, in quibus fides veritatis inesse debet.

Plura qui de hâc figurâ desiderat, adeat Scaligerum Poët.l. 3. c. 85. 86. 87. 88. 89. Quintilian.l.6.c.2.& lib.9. c.2. Hermogen. l.2.c.8. Bedam de Tropis Sac. Scripturæ, Aquilam Romanum, Julium Rufinianum &c.

III. *Li-*

III. *Licentia*, à Græcis *Parrhesia* παῤῥησία nuncupatur; estque orationis quædam libertas, & fiducia, mentem, judicium, & affectum Oratoris liberiùs exponens. Seu, ut habet Auctor ad Herenn. *cùm apud eos, quos aut vereri, aut metuere debemus, tamen aliquid pro jure nostro dicimus, quod eos minimè offendat, aut quos si diligunt, cùm in aliquo errato verè reprehendi posse videantur*, ut: *Mihi cum isto, Judices, fuit amicitia; sed ista tamen amicitia, tametsi vereor quomodo accepturi sitis, vos me privastis*. Cic. Philip. 10. *Vos, Patres conscripti, grave dictu est, sed dicendum tamen: vos, inquam, Servium Sulpitium vita privastis*. Id. ibid. *Postremò (erumpat enim aliquando vera, & me digna vox) si ad eorum voluntatem, dicta, factaque nostra referuntur, optanda mors est*. Id. pro Mil. *Laudabam equidem incredibilem diligentiam Cn. Pompeii: sed dicam ut sentio, Judices; nimis multa audire coguntur &c.* D. Jo: Chrysost. hom. 4. ad Pop. Antioch. *Quot esse putatis in Civitate nostra, qui salvi fiant? infestum quidem est quod dicturus sum, dicam tamen: Non possunt in tot millibus centum inveniri qui salvi fiant*. Ovid. Heroid. ep. 20.

Hei mihi, Cydippe, timeo tibi dicere verum:
Ne videar causa falsa movere mea;
Dicendum tamen est, hoc est &c.

Virg. 11. Æneid.

Dicam equidem, licèt arma mihi, mortemque minetur.

Et 2. Æneid.

Fas mihi Grajorum sacrata revolvere jura,
Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras,

Si qua tegunt: teneor Patriæ nec legibus ullis. In usu hujus schematis observandum, quod si licentia multùm habuerit acrimoniæ, mitigationibus leniatur, ut aliorum consulatur auctoritati, dignitati, ac nomini; neque in nos eorum indignationem apertiùs concitemus; quod fecit Antiphontes, qui interrogatus à Dionysio tyranno, ubinam gentium optimi Statutarii prostarent? Athenis, inquit; ubi statuæ jis positæ fuerunt, qui tyrannos occiderunt; quare illius jussu è vivis sublatus fuit. Mitigatio autem pluribus modis fiet; scilicet, si præfamur cum honore, & veniam ab Auditoribus petimus; si prius laudaveris, quem inde reprehendere intendis; si te illi benevolum profitearis, & amicum, & ad id muneris veluti coactum dicas; si demum te ipsum cum jis, quos objurgas, junxeris; ut in eâdem navi esse videaris; vel si erratum paulatim inde extenuare incipias: Sanè hac mitigatione efficies, ut non ex pravo motu ductus ad reprehendendum credaris; sicque altius percellent dicta Auditorum animos, habebisque ex voto intentum.

De Occupatione, Praeteritione, et Prosopopoeja.

Cap. XI.

I. Occupatio, seu *Præmunitio*, *anteoccupatio*, *anticipatio*, ut Latini vocant, Græcè *Prolepsis* πρόληψις, & *Protocatalepsis* dicta est; fit autem quoties id quod ab Adversariis, aut Auditoribus objici potest; prævenimus; & ejus quod dicimus, aut faci-

facimus rationem reddimus. Quare per hanc tacitè interrogationi responsum damus, & quidquid contra nos esse credimus diluimus. Senec. lib. 6. de Benef. c. 12. *Intelligo jam quid velis quærere; non opus est te dicere: vultus tuus loquitur: siquis sua causa nobis profuit, ei ne, inquis, debetur aliquid?* Idem de Irâ l. 2. c. 13. *Non est quod patrocinium nobis quæramus, & excusatam licentiam, dicentes, aut utile id esse, aut inevitabile &c.* Cic. pro Rosc. Amer. *Credo ego vos, Judices, mirari, quid sit, quod cum tot summi Oratores, hominesque nobilissimi sedant; ego potissimùm surrexerim, qui neque ætate, neque ingenio, neque auctoritate sim cum iis, qui sedeant comparandus.* Deinde brevissime objectionem diluit, ibi: *Quid ergo? audacissimus ego ex omnibus? minimè &c.* Denique facti sui causas affert: *Quia si quis istorum dixisset &c.* Eâdem figurâ utitur in Exordio pro Milone: *Etsi vereor, Judices, ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem, timere &c.* Item pro Arch. *Ac nequis à nobis ita hoc dici fortè miretur, quod alia quædam in hoc facultas sit ingenii &c.* Et pro Cœlio. *Dicet aliquis: hæc igitur est tua disciplina? Sic tu instituis adolescentes? ob hanc causam tibi hunc puerum parens commendavit, & tradidit; ut in amore, & voluptatibus adolescentiam suam collocaret; & hanc tu vitam, & studia defenderes.* Virg. Æn. 2.

Neque me Argolica de gente negabo
Hoc primùm.

Horat. *Nunc aliquis dicat mihi; quid tu?*
Nulla-ne habes vitia? imò alia haud fortasse minora, Virg. 4. Æneid.

Si te nulla manet tantarum gloria rerum;
Nec super ipse tua moliris laude laborem;
Ascanium surgentem, & spes hæredis Juli,
Respice, cui regnum Italiæ, Romanaq; tellus
Debentur.

In causis præcipuè valet hoc schema; & cùm aliis orationis partibus conveniat; maximè tamen Exordiis. Incongruum verò fuerit ab hoc semper exordiari, qood multi consuevere. Hujus plures species recensere solent Auctores, affertque Carbon lib. 1. de Elocut. quæ omnes, me judice, nihil peculiare habent, quod non importetur generico Prolepseos nomine. Formæ autem ferè esse solent hujusmodi. *Si quis miretur—Forsitan quæretis—Ne cui mirum videatur—At ne quis à nobis hoc ita &c.—Quæres à nobis—Quod si quis me roget—Requiretur fortasse nunc—Sed ne cui vestrum mirum esse videatur—Hæc fortè mihi objiciat aliquis &c.*

II. *Præteritio*, seu *Prætermissio*, Græcè *Paralepsis* παράληψις, & Apophasis, fit cùm dicimus nos præterire, aut nescire, aut dicere id nolle, quod tum maximè dicimus, ut: *Non dico te à sociis pecunias accepisse: non sum in eo occupatus, quod civitates, regna, domos omnium depeculatus es: Et illud prætereo, quod rei militaris te infrequentem reddidisti: rapinas tuas omnes omitto.* Cic. de Prov. Consul. *Omitto jurisdictionem in Civitate contra leges, Senatusque consulta: cædes relinquo: libidines prætermitto &c.* Et pro Cluent. *Mitto illam primam libidinis injuriam: mitto nefarias generi nuptias: mitto cupiditate matris expulsam matrimonio filiam &c.*

&c. Id, 1. in Rull. *Non quæro diminutionem vectigalium, non flagitium hujus jacturæ, atque damni: prætermitto ea, quæ nemo est, quin gravissimè, & verissimè conqueri possit; non caput patrimonii publici, pulcberrimam Pop Romani possessionem, subsidium annonæ, horreum belli, sub signo claustrisque Reipublicæ positum vectigal servare non potuisse: non dico hoc solùm &c.* Et pro Leg. Man. *Non dico hoc loco, majores nostros, semper in pace consuetudini, in bello utilitati paruisse &c.* Propert. eleg. 7. ad Mecænat.

Non flebo in cineres arcem sedisse paternos
Cadmi, nec semper prælia clade pari.

Virg. 4. Georg.

Verùm hæc ipse equidem spatiis exclusus iniquis
Prætereo, atque aliis post commemoranda relinquo.

Et Æneid. 6.

Quid Thesea magnum--Quid memorem Alciden? Ibid.
Quid memorem Lapithas, Ixiona, Pirithoumque? Et 10.
Quid repetam exustas Erycino in littore classes;
Quid tempestatum regem, ventosque furentes
Eolia excitos, aut actam nubibus Irim?

Plures hujus schematis formas, exhibet Caussinus lib. 7. de Elocut. Est autem Oratoribus frequentissimum, Tullio præsertim; valetque ad augendam suspicionem, vel ad simulanda flagitia, quæ utpote parva, aut nota recitari ex professò non licet. Multa etiam paucis complectitur; ideoque ad brevitatem facit. His verò

ferè

ferè utimur in Præteritione verbis: *ut silentio prætercam; ut interim omittam; non est hujus loci recensere &c. taceo; ommitto; silentio obvolvo; possem dicere de &c.* Et similibus. Auctor ad Herennium cum occupatione eandem facit Præteritionem.

III. *Prosopopœja* προσωποποιΐα, Latinè *Conformatio*, fit quando rebus sensu carentibus sermonem accomodamus; aut vitâ functos, tanquam spirantes, & loquentes inducimus: ut: *Quod si nunc hæc Urbs invictissima vocem emittat, non hoc pacto loquatur? Ego illa plurimis trophæis ornata; triumphis ditata certissimis; clarissimis locupletata victoriis; nunc vestris seditionibus, ò Cives vexor: quam dolis malitiosa Carthago, viribus probata Numantia, disciplinis erudita Corinthus labefactare non potuit; eam patiemini nunc ab homunculis deterrimis proteri, atque conculcari?* Seneca Consol. ad Marciam. *Puta itaque ex illa arce cœlesti, patrem tuum non illo ingenio, quo bella civilia deflevit, quo proscribentes ipse in æternum proscripsit; sed tanto clariore, quanto est ipse sublimior, dicere: Cur te, filia, tam longa tenet ægritudo? cur in tanta rei ignorantia versaris? ut iniquè actum judices cum filio tuo; quod in tædium versus vitæ, ipse ad majores se recepit suos. Nescis quantis fortuna procellis disturbet omnia; quàm nullis benignam se facilè præstiterit, nisi qui minimùm cum illa contraxerant &c.* Cic. pro Mil. *Quamobrem si cruentum gladium tenens clamaret T. Annius: Adeste quæso, atque audite Cives: P. Clodium interfeci; ejus furores, quos nullis jam legibus, nullis judiciis frenare poteramus, hoc ferro, atque hac*

dextra

dextra à cervicibus vestris repuli. Et in Verr. *Sicilia tota, si loqueretur, una voce hæc diceret; Quod auri, quod argenti &c.* Claud. 2. in Rufin. introducit umbras loquentes:

Ecce videt diras alludere protinus umbras,
Quas dedit ipse neci, quarum quæ clarior una
Visa loqui: proh surge toro &c.

Virg. 2. Æn. Hectorem introducit:

Ultro flens ipse videbar
Compellare virum, & mœstas expromere voces:
O lux Dardaniæ spes ò fidissima Teucrum
Quæ tantæ tenuere moræ? &c.

Lucanus lib. 1. Patriam inducit, Cæsarem à civilibus bellis dehortantem:

Ingens visa mihi patriæ trepidantis imago
Clara per obscuram vultu mœstissima noctem
Turrigero canos effundens vertice crines:
Cæsarie lacera, nudisque adstare lacertis,
Et gemitu permista loqui; quo tenditis ultra?
Quo fertis mea signa viri? &c.

Est Conformatio Poëtis præsertim usitatissima; habetque ad commovendum vim maximam, & amplificationi miré inservit.

De Reticentia, Sermocinatione, Subjectione, et Sustentatione. *Cap. XII.*

I. Reticentia, quam alii *Obticentiam*, alii *Interruptionem* appellant, Græci *Aposiopesin* ἀποσιώπησιν, figura est, quâ inchoatæ sententiæ cursus ita revocatur; ut inde ejus pars alia non dicta intelligatur; seu, ut definit Alexander Rhetor, *est oratio extendens quod reticetur*. v. g. *Mihi tecum præcertatio est; ideo quod Pop. Romanus me: nolo*

etiam lacrymæ impediunt. Virg.
Nec requievit enim donec Calchante ministro
Sed quid ego hæc autem?

5. Alicujus personæ interventu, ut sæpè accidit in Comœdiis: unde Terent. in Phorm. *Si quis me quæret rursus--præsto est, desine.* Et Plaut. in Asin. *Eja, Benedicite.*

6. Aliò transeundi gratiâ, ut: *Communis autem. Tametsi ignoscite mihi Judices.* Huc referunt quidam *Digressionem*, quæ plurimùm Aposiopesi conjuncta est; eamque Græci παρέκβασιν Parecbasin vocant; estque, ex Quintil. sententiâ alicujus rei, sed ad utilitatem causæ pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio. Adhiberi autem consuevit laudandi, vituperandi, ornandi, delectandi gratiâ. Sumuntur autem, ut docet Erasmus de verb. cop. l. 2. Ab expositione rerum gestarum, à descriptione locorum, regionum, personarum. Item à fabularum tractatione. Præterea à communibus locis, quoties amplificandæ rei gratiâ, in avaritiam, tyrannidem, iram &c. dicimus; atque in his, causâ velut aliquantisper neglectâ, diutiùs immoramur. Idem de laudativo genere dicas. Licebit tamen excursionibus diutius immorari, vel initio dictionis, vel in fine, quo jam fatigatus Auditor recreetur. In medio si quando digredimur, celeriùs eò redeundum quò fuerimus digressi; nisi pars causæ jã absoluta det digressionis ansam.

II. *Sermocinatio*, Græcè *Dialogismus* διαλογισμος, est ficta collocutio personarum, sive solus unus loquatur, sive plures inducantur simul loquentes: ut si sapientem

tem secum ipse verba facientem induxero: *Non mihi soliꝭ, sed ad Reipublicæ utilitatem, ad Religionis augmentum natus sum.* Cic. pro Quinct. *Differebam mehercule C. Aquili, satis animo certo, & confirmato me posse in hac causa consistere: sic cogitabam cùm contra dicturus esset Hortensius; & cùm esset attentè auditurus Philippus, fore uti permultis in rebus timore prolaberer.* Et pro Planc. *At ego cùm casu diebus illis itineris faciendi causa descendens è Provincia Puteolos fortè venissem; cùm plurimi, & lautissimi esse solent in jis locis, concidi pene Judices, cùm ex me quidam quæsisset, quo die Roma exissem, & numquid in ea esset novi? cui cùm respondissem, me è Provincia decedere, etiam mehercules, inquit, ut opinor ex Africa. Huic ego jam stomachans fastidiosè, imò ex Sicilia, inquam. Tum quidam quasi qui omnia sciret, qui tu nescis, inquit, hunc Syracusis Quæstorem fuisse? quid multa? dedisti stomachari, & me unum ex jis feci, qui ad aquas venissent.* Virg. 9. Æn.

Agnoscunt faciem invisam, atque immania membra
Turbati subitò Æneadæ. tum Pandarus ingens
Emicat, & mortis fraternæ fervidus ira
Effatur: non hæc dotalis Regia Amatæ.
Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.
Castra inimica vides. nulla hic exire potestas.
Olli subridens sedato pectore Turnus:
Incipe, si qua animo virtus, & consere dextram.
Hic etiam inventum Priamo narrabis Achillem.

Exempla plura subdere non est necesse; utpo-

utpote quæ passim apud Poëtas, Oratores, ac potissimùm Historicos occurrant. Elegantem habet sermocinationem Homerus 3. Iliad. ubi facit Priamum senem, Hectorem dehortantem à prælio; posthunc, Hecubam. Itidem Iliad. 6. Adromachen uxorem deterrentem à prælio, atque his respondentem Hectorem. D. Ambrosius non dissimilem habet. In historiâ septem Machabæorum; ac præter alios, qui Martyrum vitas scripsere hac usi sæpius sunt exornatione.

III. *Subjectio*, Græcè *Antipophora* ἀντιπόφορα, figura est, quâ Orator vel seipsum interrogat, sibique respondet, vel cùm alium interrogaverit, non expectat responsum, sed aliud de suo adjicit: ut: *Te desidiæ ætatis florem sacrasse, otio vel à primis annis emarcuisse, quid erit in causa? Disciplinis, & humanioribus literis fuere qui vacabant Præceptores. Negotiis impeditum? At domui erat rector, causarum erant Patroni &c.* Cic. pro Cœlio. *Quare venenum dare vellet? ne aurum redderet? num petivit? ne crimen hæreret? num quis objecit?* Id. de Harusp. *Tu meam domum religiosam facere potuisti? Ecqua mente? qua invaseras? qua manu? qua disturbaras? qua voce? qua incendi jusseras? qua lege? quam non scripseras?* Claudian.

Si partem tacuisse velim, quodcumque relinquam
Majus erit: Veteres actus, primamq; Juventam
Persequar? Ad se se mentem præsentia ducunt.
Narrem justitiam? Resplendet gloria martis.

Ar-

Armati referam vires? plus egit inermis.

Virg. 4. Æneid.

Non potui abreptum divellere corpus, & undis
Spargere? Non socios, non ipsum absumere ferro
Ascanium, patriisque epulandum apponere mensis?
Verùm anceps pugnæ fuerat fortuna: fuisset.
Quem metui moritura? faces in castra tulissem
Implessemque foros flammis &c.

Ovidius.

Si furor est: habeo quod carmine sanet, & herbis.
Sive aliquis nocuit: magico lustrabere ritu.
Ira Deum sive est, sacris placabimus iram.

Extant hujus schematis præclara Auctorum exempla, quæ omnia hîc afferre longum foret. Eleganti admodùm subjectione Polybium consolatur Seneca. Plenam vetustatis alteram habet Minutius Felix; D. Cyprianus ep. 77. Petrus Cellensis l. 7. ep. 2. Bernardus ep. 42. ubi suaviter mutuæ dilectionis suavitatem confirmat. D. Hieron. ep. 11. ad Rufin. de solitariæ vitæ tranquillitate. D. Ambrosius l. 1. de Virg. quâ Virginem ad vitæ melioris sortem vocat; & l. 6. c. 8. ubi pauperes divitibus feliciores adstruit &c.

IV. *Sustentatio*, sive *inopinatum*, Græcis *Hypomone* ὑπομονή, ac etiam per quosdam *Paradoxon* sonat. Hæc suspensum aliquandiu tenet auditoris animum: deinde aliquid subjicit contra illius expectationem, sive majus, sive minus. Cic. Verr. 7. *Etiamnum mihi expectare videmini, Judices quid deinde factum sit, quod iste nihil un-*

unquam fecit, sine aliquo quæstu, atque præda. Quid in ejusmodi re fieri potuit? Quod commodum est? expectate facinus quod vultis improbum; vincam tamen expectationem omnium. Nomine sceleris conjurationisque damnati, ad supplicium traducti, ad palum alligati, repentè multis millibus hominum inspectantibus, soluti sunt, & Leonidæ illi Domino redditi. Idem pro Roscio ubi minuit: *Patrem occidit Sex. Roscius, qui homo? adolescentulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus, annos natus magis quadraginta. Vetus videlicet Sicarius, homo audax, & sæpè in cæde versatus. At hoc ab Accusatore ne dici quidem audistis. Luxuries igitur, hominem nimirum, & æris alieni magnitudo, & indomitæ animi cupiditates, ad hoc scelus impulerunt. De luxuria purgavit Erucius, cùm dixit, hunc ne in convivio quidem ullo fere interfuisse. Nihil autem unquam debuit. Cupiditates porrò quæ possunt esse in eo, qui, ut ipse accusator objecit, ruri semper habitarit, & in agro colendo vixerit? quæ vita maximè disjuncta est à cupiditate, conjuncta est cum officio. Quæ res igitur tantum istum furorem Sex. Roscio objecit? patri, inquit, non placebat.* Ex Poëtis celebre est illud Martialis l.6. ep.32. quo facetè per sustentationem jocatur.

Quod convivaris sine me tam sæpè, Luperce,
Inveni, noceam qua ratione tibi.
Irascar, licet usque voces, mittasq; rogesque.
Quid facies? inquis: quid faciam? veniam.

Ausonius quoque in Rufum. ep.51.

Rhetoris hæc Rufi statua est: Si saxea, Rufus

Cur id ais? ſemper ſaxeus ipſe fuit.

Adhiberi autem ſolet hæc exornatio cùm explicaturi ſumus aliquid inuſitatum, atque mirabile, aut inaxpectatum: ad jocos itidem aptiſſima eſt; habetque decus quamplurimum.

Intrudi ſolent ab aliquibus alia multa inter figuras; ut Gratiarum actio, Miſeratio, Minæ, Percuſſio, Recuſatio &c. quæ ab accuratioribus nec quidem nominantur; quoniam aliæ verè figuræ non ſunt; aliæ cum allatarum aliquâ facilè confunduntur. His igitur inſtructi totum orationis ornatum optimè percipietis, uſuque acquiretis; quod verſatis rogo ad Dei laudem, & majus ad pietatis incrementum.

FINIS.

NICOLAO A NOMINE MARIÆ

Scholarum Piarum: Optimo Artium Professori, Theologo eruditissimo

Sigismundus à S. Silverio Fel.

EXemplar ad te mitto, dilectissime Nicolae, Libelli nuper editi mei ne dicam, an tui? Tui non minus quidem, quàm mei: tu enim nedum primos labores meos affabre transcripsisti, sed & multa scitè adjecisti, quibus plenior, quibus utilior, quibus jucundior lectio habeatur: quod sanè grati animi ergo testatum volo; sed & in alias quoq; Rhetoricæ partes à me jam conscriptas, ut officium idem perficias quamprimum rogo: neq; enim moras patitur nobilissimus, atque optimus Adolescens D. ANTONIUS RUFUS Illustriss. & Excelentiss. Balneariæ Ducis filius, cui exornando præsertim labor hic destinatus. Vale ad Instituti nostri emolumentum, ac decus. Romæ Idibus Februarii, M.DCCVI.

ERRATA CORRIGE.

Pag. 5. auctoritatibus. auctoribus. pag. 48. dicnnt. dicunt. pag. 68. manus. munus. p. 87. rugunt. regunt. p 107. fidicien. fidicen. ib. usurpantur. usurpatur. p. 119. III. VII. p. 120. VII. VIII. ib. VIII. IX. p. 121. IX X. ib. XI. XII. ib. XI. XIII. p. 136. pro se. pro lege. p. 143. *ingesis. ingens*. p. 163. *autem aurem*. p. 179. Catullum. in Catullum. p. 188. peregum. peregrinum. p. 190. parte. partu. p. 192. rum. alterum. ibid. postamquam. postquam. ib. Ucalogentis. Ucalegontis. pag. 207. aliud. alium. ib. intitationem. imitationem. p. 230. sinpliciter. simpliciter. p 231. *veeiat. veniat*. ib. ernditionem. eruditionem. p. 240. *Crasco. Crasso*. pag. 266. nagationibus. negationibus. p 272. *malecta. malefacta*. p. 273. colloquii. colloquiis. pag. 285 emeties. ementiens. p 287. Ironica Ironia. p. 288. potens. potes. ib. *qua avac. qua cava*. p. 300. delectionem. delectationem. p. 302. *produxuit. produxit*. ib. *plurimum. plurium*. p. 304. reperitur. repetitur. p. 306. *Et longum formose vale &c*. Hoc exemplum deleatur; neque enim est hujus loci. p. 308. *re. se*. p. 311. *cognoscadus. cognoscamus*. p. 319 *Ab miserrimum. Ab miserum*. pag. 321. *malut. malus*. ibid. *dedit dedit. dedit*. pag. 324 *peris. perit*. pag. 325. Verborum. Sententiarum. pag. 329. est, fit. fit. ibid. amphoram. anaphoram. p 334 *Danum*. Danaum. pag. 340. Cap. VI. Cap. VII. pag. 362. *cajum. cujum*. p. 367 *illide. illude*. ibid. faeimus. facimus. pag. 368. restituendum. resistendum p. 370. Statutarii. statuarii. p. 372. cōveniat. cōvenit. ib exordiari. exordiri. ib. qood. quod. p. 379. aliud. illud. p. 382. inaxpectatum. inexpectatum.